IN EBENBITAR TRACTATUM DE MALIS LIMONIIS COMMENTARIA PAULI...

Paolo Valcarenghi, Abdallah Ibn Ahmad Ibn al-Baitar







IN EBENBITAR TRACTATUM DE MALIS LIMONIIS

Commentaria

PAULI VALCARENGHI

Cremonae Ferrariae & Brixiae
Physici Collegiati Comitis & Equitis
In Regio Ticinensi Archigymnasio Medicinae
Primarii Professoris
Ejusdemque Facultatis Theorico-Practicae
In Scholis Palatinis Mediolani Publici Interpretis
Bononiensis Academiae Instituti Scientiarum
& Botanicae Florentiae Socii
Collegio Nob. Physicorum Mediolani ob honorem distincte
Aggregati
SERENISSIMO DUCI MUTINAE
a Consiliis Medicis.

CREMONAE MDCCLVIII.

Apud Petrum Ricchini.
SUPERIORUM PERMISSU.

ILLUSTRISSIMO
AC SAPIENTISSMO VIRO
DOMINO
D. PAULO DE RIDO
DE SILVA
Ex Mediolanensi Nobilium Judicum
Comitum & Equitum
Collegio
Regio Ducali Senatori Mediolani
& Cremonae Praetori &c.

PAULUS VALCARENGHI

Felicitatem.



Um de me, rebusque meis honorifice Te loqui, SENATOR AMPLISSIME, multoties intellexerim, licet alioquin tenuitatis meae satis ego sim conscius, vere ne, an secus id sentias, meum utique non est statuere. Cumque praeterea Te neutiquam ex illis esse pro certo habeam, qui (sicuti non raro, pessi-

mo plane fato, contingit) aliud in ore, aliud in corde referre ſtudent: aequum erit dicere, quod eam Tibi de me opinionem ſola pepererit humanitas, qua caeteros mirum in modum excellis. Utcunque autem, vel ſummo humanitatis impetu, vel egregio Tuo inſtinctu, de omnibus benemerendi, vel qualibet alia de cauſa, Te mihi adeo favere quiſpiam exiſtimet; in hoc uno meae felicitatis, & gloriae plurimum agnoſco: de quo quidem eo magis magiſque mihi gaudeo, quo illuſtrius, & jocundius eſt, laudari a laudatis Viris. Si enim illud intereſt maxime, atque curandum ſummopere eſt, *non ut quam multis, ſed qualibus unuſquiſque placeat*; quum ea, quae ipſe agit, Sapientibus haud omnino diſplicere animadvertit, ceu ſumma potitus gloria, nihil inſuper exoptandum ſibi fore putans, eo majus in dies ſibi ad virtutem incitamentum addi, alacrioremque ad ſtudium ſe fieri, mirabiliter ſentit. At caeterorum, qui vel inconſulto, vel non aequa lance, aliena penſitare conſueſcunt, licet eiſdem omnino probetur, judicia prorſus ipſe deſpicit; eo vel maxime quia, monente Seneca, *Malis diſplicere laudari eſt*. Nam probi Viri *ab improbis laudari neque optant, neque gaudent; quod eorum praeconia, tanquam e vaſe inquinato, foetidoque quodam* *erum-*

Senec. & P. Syr. ſentent. 489.

Senec. Prover.

Petr. Haed. de miſeria hum. lib. 4. p. 45.

erumpentia , non modo nihili pendenda , sed nec audienda quidem putant. Siquidem *quicunque mente nimium agitata res ipsas judicare conantur , ii non aliter, quam illi, qui vertiginem patiuntur, omnia verti putant,* [*ut Plato inquit*] *cum ipsi vertantur*. Quemadmodum itaque Viri illius , a quo laudes eveniunt, praestantia Homini commendato decus affert ; ut eam, quam abs Te gloriam in me video proficisci , unicuique patefaciam : quis revera , quantusque sis , explicare aggrediar . Ecquem porro fugit , Te plurimis , conspicuisque dignitatibus antehac insignitum , Senatoria modo ditatum Toga, non tantum vetustissima Generis Tui nobilitate, verum etiam sapientia , sacris Religionis nostrae dogmatibus apprime consona, omnique doctrinae , ac virtutum genere praeditum, prudentia praecipue, integritate, fortitudine, aequitate, liberalitate, nec non in maximis gerendis negotiis dexteritate , valere plurimum ; adeo quidem ut eorum omnium, qui ad Te libentissime confugiunt, plausum , & admirationem Tibi conciliaveris ? Quae sane omnia , praeter tot alia, quibus summopere praestas , si pro dignitate prosequi vellem, dies plane me deficeret. Caeterum in celebranda praeclarissimae Familiae Tuae nobilitate, plurimis firmata saeculis,

Marsil. Ficin. de Vita sana cap. 7.

non eſt, cur immorer: cum ex illis Tu profecto ſis, qui hujuſmodi decus, ut ut eximium, a Majoribus tantummodo dimanans, plurimi quidem faciunt, at ceu quid extrarium habendum eſſe, pro certo credunt. Quamobrem, licet Tibi Sinarum inſtitutum haud prorſus arrideat, qui gentilitiam deſpicientes, nobilitatem ſolis attribuunt Litteratis: cum Homines apud ipſos, licet honeſto loco nati, *ſi indocti, & ignari fuerint, ad priſtinam denuo relabantur conditionem, & Plebejis accenſeantur*: eo pluris tamen Generis praeſtantiam faciendam eſſe arbitraris, quo magis ſcientiarum cultu ea fuerit illuſtrata. Quidquid itaque decoris, & gloriae (quod certe maximum eſt) a Majoribus Tuis nactus undequaque es, illud abs Te uno ſplendidius evaſiſſe, fatentur omnes; veram ſcilicet in Te ſapientiam, omni virtutum, & doctrinae genere partam, plurimum ſuſpicientes. Et ſane quo ſaepius ad Te accedo, majorem ſemper e Tuis moribus, Tuiſque eruditiſſimis ſermonibus haurio ſuavitatem: cum inde ad virtutem, pietatemque, additis, ut ita dicam, calcaribus, excitari me ſummopere ſentiam. Illud autem potiſſimum in Te etiam atque etiam ſpecto, nec id ſatis unquam laudibus efferre potero, quod in Tuis cogitationibus, atque operibus, haec

Iſaac. Voſſius variar. obſerv. lib. cap. 13.

Tibi

Tibi prima eſt, & antiquiſſima ratio, ut Deum Optimum Maximum, a quo uno, quae vere bona ſunt, emanant omnia, humanis rebus, quae fluxae nimis, infirmaeque ſunt, penitus anteponas. Enim vero per Te illud ſtat imprimis, nec unquam Tibi mente excidet, omnium etiam virtutum pietatem in Deum eſſe fundamentum, unde alia quaeque bona ſemper fluunt. Hinc tantum abeſt, ut quis per Te doctrinae ſtudio ita ſe rapi putet, ut illud tantum anhelare ſe ſentiat, quod ejus Mens, omni ſublato ſacrae Religionis repagulo, velut Equus, ſolutis habenis, huc illucque pro arbitratu diſcurrat, deque omnibus liberrime judicare ſe poſſe, audacter praeſumat; quin etiam omnibus, qui Te documento habentes, in litteris ſe totos abdunt, religione vitae nihil eſt antiquius. Aſt, dum ita de Te a vero Animi ſenſu judico, nihil me gratia, nihil afficit ambitio; imo equidem (quod in hanc rem facit) de Teipſo cum Cicerone loquar. *Cum multis aliis de cauſis Virorum bonorum mentes divinae mihi, atque aeternae videntur eſſe, tum maxime quod optimi, & ſapientiſſimi cujuſque Animus ita praeſentit in poſterum, ut nihil, niſi ſempiternum ſpectare videatur.* Hujuſmodi propterea nobilitati, atque verae ſapientiae inſiſtens, nihil Tu meditaris, nihil ſtudes, aut

Cicero Orat. pro C. Rabrio,

agis unquam, quod Deo displiceat, quod Hominibus non prosit; quum unicuique quod suum est, pro Instituto Tuo, jugiter tribuas. Quae dum summa cum laude praestas, Tuo commodo, Tuaeque minus, quam aliorum, utilitati inserviens: quotquot ad Te saepissime confugiunt, ii nunquam abs Te discedunt, quin comitatem morum, lenitatem sermonis, & omnigenam eruditionem Tuam uno ore depraedicent; atque in Te oculos, tanquam in speculum, conjicientes, ex Te sumant semper, quod imitentur. Quia tamen in Reos quoscunque aeque justus es vindex, ac suavis, & hilaris erga Probos, & Innocentes; dum ex aequo utrinque decernis, adeo in omnes Jus Tuum exerces, ut nec precibus, nec donis, nec quacunque de causa ab eo recedas quidquam, quod rectum Tibi exhibet judicium. Atque haec omnia ut aequabiliter agas, aliorum bono accurate, & gloriose studens, nullis unquam laboribus, vigiliisque parcis. Eapropter ex iis Te revera, esse quisquis existimat, *quorum oculos* (Cicerone teste) *virtutis splendor occupavit, gloriaeque studium delinivit*; qui nempe *nec laborem sentiunt, &, si tantus est, ut aliquando erumpat, eo tamen non magnopere moventur. Toti enim in eo sunt, ut prosint Patriae, immortalemque sibi nominis memoriam comparent.*

Cicero de Consolatione n. 28.

Ita

Ita in omnibus idem videris esse semper, dum vigilantissimi simul, & aequissimi Praetoris munus Cremonae geris: ad quod profecto (juxta Plutarchi monitum) delectus diceris, *non tam is nempe, qui clarus sit, & potens, quam qui eo per virtutem aspiravit*. Quae omnia nil mirum est quod Tu nobiscum tam gloriose peragas; cum Mediolani, Patriae diligenter inserviens, summis addictus muneribus, atque praeclaris dignitatibus decoratus, illud de Te ipso specimen omnibus praebueris, ut jure meritoque par sit statuere, quod illis Tu majus addideris decus, quam inde quomodolibet acceperis. Sive enim Urbis illius bis Praefectus, sive in Capitalibus rebus supremus Judex constitutus, sive Regii Fisci Patronus designatus, sive in gravioribus agendis negotiis fueris persaepe delectus, atque tandem Conscriptorum Patrum Regio-Ducali Coetui adscriptus: cum Tibi semper constiteris, omnium plausus, & encomia promeritus es, in publicam tranquillitatem, utilitatem, felicitatemque pro virili incumbens. Sapientiae insuper, & admirabili dexteritati Tuae quam maxime debet Collegium Nobilium Jurisperitorum Mediolani, in quod merito pluribus abhinc annis fuisti cooptatus: itidemque debet maxime Collegium Nobilium Physicorum, cujus

Plutarchus praecept. politic.

Con-

Consultorem egregium ego quoque Te sum expertus, tunc cum, Tuis fretus officiis, eidem illustri Coetui (non ut medendi facultatem exinde obtinerem, quam alioquin ii, qui publico Artis magisterio praestant, ex se ubique habent, sed honoris dumtaxat causa) aggregatus distincte fui: quod ita quidem extero nemini usque in hanc diem concessum est. Possem denique, quin imo deberem tot alia, eaque maxima, quibus me cumulasti, beneficia commemorare, pro quibus pares nunquam referre grates potero. Sed desunt dicenti verba, renuitque magnanimitas, & renuit aequa Mens Tua, omni virtutum genere illustrata; unde Tibi semper praesto illud est Senecae dictum: *non est beneficium, quod in quaestum mittitur. Hoc dabo: hoc recipiam: Auctio est.* Adeo autem benemerendi de omnibus es sollicitus, ut etiam in Invitos, etiam in Ingratos beneficia plena manu congerere quotidie studeas. Quod enim a Seneca didicisti, illud Tibi passim in ore sonat: *demus etiam, si multa in Invitum data sint: demus ipsis, apud quos jactura facta est.* Quae cum ita sint, non modo ob sublimem Dignitatem, qua fulges, sed praesertim ob excelsas Animi Tui dotes, Te dum intuentur omnes, laetantur maxime, Teque sicuti nobilitate, ita virtutum,

Seneca de benefic. lib. 4.

Idem ibidem lib. 7.

&

& doctrinae quocunque genere praestantissimum admirantur, & summis efferunt laudibus; ac ego, prae aliis, Te colendum omnifariam esse judico. Verumtamen, quum is ego sim, qui, quo me voluntas ducat, a ratione profecta, eo libenter sequor: gessi morem Animo meo, tacite hortanti, ut hanc meam, ad Te colendum, propensionem, non modo Tibi, sed, quatenus ego possim, caeteris etiam, publico aliquo officio declararem. Idcirco cum tulerit occasio, Commentaria in EBENBITAR tractatum *de Malis Limoniis* vulgandi: peropportuna ad id, quod statueram, visa mihi res est. Nam hunc librum, si Tuo praeclarissimo inscriptum nomini, publici juris facerem, putavi me praestare quidquam, quod utrique nostrum conveniret: Tibi nempe, quia nonnulla eruere hinc dogmata poteris, quibus valetudini Tuae consulens, diutissime vivas incolumis: mihi vero, quia Operi ipsi summum inde decus accedet; unde & probis Viris placeat, & Obtrectatorum iniquas artes effugiat.

Illi

Illi, qui acidi vegetabilis virtutem aut ignorant, aut damnant, egregio se Medicamento privant.

Jo: Frideric. Bachstrom de Scorbut. natur.

Ego autem, sine jactantia, affirmo, me ex nullo alio remedio simplici tot felices effectus in tota Praxi mea observasse, quam ex Limonibus.

Martin. Lister Tract. de Morb. Chronic. exercit. 5. ita sentit ex *Pisone Batavo.*

BENEVOLO LECTORI

COMMENTATOR S.

VIr magni nominis, ut alii, qui Cremonae summa cum laude Medicinam faciunt, Martinus Ghisius, *meus quondam Discipulus, aliquot abhinc mensibus* EBENBITAR *tractatum de* Malis Limoniis *hic Typis edidit, quem quidem, a tribus circiter saeculis latinitate donatum, manuscriptum ab Amico acceperat. Eum Medicis omnibus, ad exercendam Artem, summopere utilem censuit: cum plurima, quae de istorum fructuum facultatibus haud penitus perspecta fuerant, ibi breviter indicata deprehendisset. Idcirco nullus dubitavit, fore ut quilibet consilium suum probaret; eoque magis, quia aetate nostra, plusquam alias, isti fructus, non tantum ad voluptatem, verum etiam, firmandae, ac restituendae valetudinis, causa, passim adhiberi solent; unde & plurimi a sanioribus Medicis aestimantur. Cumque praeterea perspectum satis haberet, me fructuum eorumdem suavi aeque, ac utilissimo praesidio, prae aliis, maxime tribuere, ita quod aliquando de iis disserere adamussim vellem: eundem tractatum meo nomini inscribere voluit; eo sane animo, ut non modo me ad exaranda citius in Auctorem commentaria urgeret; sed etiam ut unicuique ostenderet, quantum eorum memor esset, quae sponte, plurimis*

abhinc

abhinc annis, effeceram, ut eum, ad Medicinae studia anhelantem, Theoriae, Anatomes, Praxeosque Doctrinis primum imbuerem. Ast, quia, vix aliquibus in vulgus emissis exemplaribus, altera fortuito hic prodiit ejusdem tractatus editio, Venetiis acta, apud Oratium de Gobbis *anno* 1583., *curante* Francisco Butirono: *de hoc Lectores, congrua adjecta schedula, monitos statim voluit. Haud enim immerito sibi persuaserat, quod, cum antea pro certo haberet, nondum tractatum hunc fuisse vulgatum; id aliquis illi vitio vertens, omnino consilium suum reprobaret: perinde ac si ipse, qui publicae saluti sic optime consuluerat, alios decipere vellet, indebitamque sibi gloriam asciscere. Verumtamen ego tantum absui, ut de ipso sic temere judicarem, quin palam dixi, in hoc semper Editoris voluntatem, benemerendi de omnibus, commendandam esse; nisi ei quispiam injuriosus esse mallet. Ecquid enim, obsecro, ultra agere ille poterat, posteaquam, quotquot alibi habebat in Historia medica versatos Amicos, etiam atque etiam rogaverat, quod, si quidquam de hoc Auctore, ejusque tractatu, iis innotuisset, eidem ingenue significarent, ut mendacii notam ipse penitus effugeret? Idem propterea Clar.* Ghisio *contigit, quod* Gaspari Bindonio *anno* 1602. (a) *Parisiis evenit, dum hunc tractatum,* nun-

(a) *Editionem hanc indicarunt* Mangetus Bibliothec. Scrip. Med. Tom. 1. part. 1. lib. 1. pag. 109. *Itidemque* part. 2. lib. 5. pag. 215.

nunquam hactenus [*ut iste loquitur*] in publicum aspectum *emissum edere , atque* Excellentissimo Viro Vido Vidio Juniori Medico *dicare voluit: atque cum is summam apud aequos rerum Aestimatores gratiam promeritus sit; id ipsum & Editori nostro concedendum esse , inficiari nemo ausit. Neque minorem sibi in hoc comparasse laudem mihi* Ghisius *videtur quam* Salustius Viscanti [*cujus exemplum ipse pene sequi visus est*], *qui nempe cum anno 1576. utilissimum tractatum* de Peste, *jamdudum a* Saladino Ferro Esculano *conscriptum, educere in vulgus vellet, nec alioquin certo sciret, num antea revera prodiisset: nihilominus, ne quidquam communi deesset bono, id, quod statuerat, praestitit: de quo quidem Lectores data opera* (b) *commonefecit. Quidquid itaque moro-*

215.: Linden. renovat. &c. a Georg. Abrham Mercklin. continuat. pag. 260.: Haller. Method. stud. med. Boerhaav. Edit. Venet. Tom. 1. pag. 210.: *atque demum nobilitate aeque, ac doctrina praestantissimus* Comes Jo: Maria Mazzucchellus Vol. 1. part. 1. Gli Scrittori d'Italia, *verbo* Alpago &c.

(b) Discorso di Peste di M. Andrea Gratiolo di Salò ec. ed appresso un trattato di Peste ec. non più veduto di Saladino Ferro Ascolano. *Ea vero, quae in epistola nuncupatoria* Salustii Viscanti *ad* Cardinalem Moronem *ibi conscribuntur, cum ad propositum nostrum faciant, hic placet referre.* — Ho molte volte cercato d'intendere, se o per via di stampa, o in altro modo fosse di questo Autore, e del presente suo Scritto qualche notizia tra i Medici del nostro tempo, ne mai alcuno me n'ha saputo dar nuova alcuna: Sia, o non sia noto altrove, a me non è noto, che egli sia noto: mi è bene cosa notissima, che sarà molto commendevole opera di carità verso l'umano genere, che questa Opera sia pubblicata ec.

morosiores, quam par est, ii Censores dicant, qui sua tantummodo, quaecunque ea sint, commendantes, aliena passim maligne carpunt, atque spernunt: Ego tamen optimam Ghisii *voluntatem efferre laudibus nunquam desinam. Eum praeterea laudabo semper, quod, quae ad Arabicum hunc Auctorem spectant, aliquas addiderit notiones, quas vel ipse proprio marte sibi comparaverat, vel aliorum causa fuerat assequutus. Atque in hoc potissimum, ut omnes intelligant, me ejus consilii rationem penitus sequi, alia quoque, data opera, subnectam, quibus ipsi ultra morem gerere, & Eruditis quibuslibet aliquatenus satisfacere valeam. Horum pleraque ab Auctoribus erui: nonnulla mihi humane reddidit Clar. Medicus noster* Joseph Migliavacca, *& ipse meus olim Discipulus: ex quibus aliqua ipse obtinuit a Clar.* Bononiensis Instituti *Academico* Francisco Maria Galli Bibiena: *cui proinde me quoque debere plurimum, fateor, eoque magis quia memoratae* Ebenbitar *editionis Parisiensis Exemplar, quod a Clar. ejusdem Celeberrimi* Instituti *Academico* Joseph Biancano *receperat, ad praelaudatum* Migliavaccam *misit, ut illud meo inserviret usui.*

In primis itaque si Ebenbitar *nomen quis consideret, etiamsi diversimode ab Auctoribus conscriptum illud sit, haud quidquam dubito, quin eundem Arabicum hujusce tractatus Auctorem ii omnes indicaverint. Is a Celeberrimo* Hallero Ebnbitar *nominatur; in quo Typographum*

plum accusare (*c*) *malo : cum nemo sibi unquam persuaserit , quod accuratissimus hujusce aevi , doctissimusque ille Auctor , qui* Bindonii *praedictam editionem* [*in qua* EMBITAR *nomen a* Mangeto , Lindenio , *aliisque legitur*] *commemorare voluit , illud male adeo designaverit . Imo ego , summam in caeteris* Halleri *diligentiam admiratus , verisimilius existimo , quod ipse* , Bindonii *errorem corrigens* , EBENBITAR *scripserit : unde , per incuriam Typographi , omissa littera* E , EBNBITAR *postea fuerit impressum. Etenim , licet in Cremonensi Manuscripto, atque proinde in* Ghisiana *editione , nec non in altera Veneta* Buttironi , *Arabs iste Medicus* EBEMBITAR *dicatur* , [*uti ego ipse , utriusque vestigia sequens , in Commentariis scripsi*] *rationi tamen consonum magis mihi modo videtur esse , quod* EBENBITAR *debeat dici : sicuti in hujusce Libri titulo postea imprimi curavi . Namque in hoc praesertim , ut arbitror , plurimam tribuere debemus auctoritati* Andreae Alpagi Bellunensis , *cum in alio quovis doctrinae genere , tum in Arabica lingua* [*teste* Nicolao (*d*) Massa] *peritissimi : qui scilicet Arabicorum nominum significatum explicans , & in*

† *Arabi-*

(c) Method. Studii Medic. Boerhaav. cum notis Halleri Tom. 1. Edition. Venet. 1753. pag. 210.

(d) Nicolaus Massa *in* Avicennae *Vita , ejusdem Operibus praefixa , ubi de* Alpago *loquitur , haec habet* . — Et quamquam plures, qui titulum librorum Canonum exposuerunt , aliter interpretati

Arabicorum (*e*) *verborum latina interpretatione* , (*f*) EBENBITAR *ſemper ſcripſit*. *Atque hic ſcribendi modus* , *in Arabicis deſignandis nominibus* , *quod apud Arabes familiaris fuerit*, *eo clarius tunc* Alpagus *oſtendit* , *quum alios* Avicennae *Expoſitores* , *aut Arabicae locutionis Interpretes* , *praeter* EBENBITAR , *nominat*: Ebenſem *videlicet*, Ebengiesle, Ebengian, *&* Ebencof *&c. Eadem inſuper Bellunenſis interpretatio*, *quae ſpeciales* Avicennae *denominationes ibidem explicat*, *conjectandi merito nobis anſam praebet*, *nomen* EBENBITAR *oſtendere*, *quod Arabs iſte Auctor habendus ſit*, *uti a* BITAR deſcendens: *ſicuti* Avicenna *nominatus* Ebenhali *indicat quod* ſit deſcendens *a Patre ſuo* Hali; *&* Ebenſina *praefert* , *quod* ſit deſcendens a Sina , *qui ejus Avus fuiſſe dicitur*. *Alias etiam denominationes fas hic eſt adjungere*, *quibus eruditiſſimus* Seguierius (*g*) EBENBITAR *diverſimode exhibet*: *nempe* BAITAR, IBNU-

EL-

---

pretati ſint, nihilominus majorem fidem interpretationi Andreae Alpagi, Viri in Arabica lingua, praeter caeteras doctrinas, exercitatiſſimi, adhibendam eſſe cenſui, quam reliquis: quoniam nonniſi a doctiſſimis Arabibus, tum Avicennae diſcipulis, tum interpretibus, fide dignis, accepit, nobiſque tradidit.

(e) Andreae Alpagi Bellunenſis de Arabicorum nominum ſignificatu. *In Operibus* Avicennae.

(f) *Idem ibidem*. Arabicorum nominum, quae in Avicennae Libris ſparſim legebantur, ad mentem Expoſitorum Arabum, latina interpretatio.

(g) Jo: Franciſc. Seguier. Biblioth. Botanic. Part. I. A.

EL-BAITAR, ABENBITAR, EBENBITAR, EMBITAR, & ABDULLAB-BEN-ABMED. *Qui porro diversi explicandi modi quomodonam, & qua ratione hunc eundem Arabicum Auctorem significent, ii tantum docere nos poterunt, qui in eo idiomate sint exercitatissimi. Ego autem, qui hoc prorsus ignoro, vulgarem significationem, a tot saeculis confirmatam, sequens,* EBENBITAR *dicam*. Seguierius *insuper nos admonet, quod* EBENBITAR Malaccae *obierit, in ea scilicet Indiae Urbe* (*h*) extra gangem, *quam* Emporium celeberrimum cum portu, & arce prope ostium *dicunt, nec non etiam* Caput regni cognominis, in parte australi Aureae Chersonesi ad fretum Malaccae; *de qua quidem Urbe, praeter caeteros fusius agit* Strabo, (*i*) *& P.* Tursellinus (*l*). *Nec enim, ut opinor, hujusce Urbis nomine altera intelligi hic potest* Malacha *Hispana Regni Granatensis, sita in ora Maris Mediterranei; cujus ibidem meminit* Lazor. *Praeterquam quod, si,* Seguierio *teste, dicendum sit, quod* EBENBITAR *extremum compleverit diem anno Christi* 1216.; *nisi brevem admodum ipsi vitae terminum statuamus* [*quod veri similitudini opponitur, cum agatur de Litterato Viro, Medicis elucubrationibus celebri*]: Halleri *testimonio, par erit dicere, quod ipse vixerit anno* 1187.,

† 2 Sala-

(h) Alphonf. Lazor a Varea Univerf. Terrar. Orb. Tom. 2.
(i) Strabo Geograph. lib. 7.
(l) P. Horat. Turfellin. de Vit. S. Franç. Xaver. lib. 2. cap. 18.

Saladini *scilicet aevo. Neque tamen hic,* Saladini *nomine, possumus intelligere* Saladinum, *celebrem* Esculanum Medicum [*uti forsan aliquis ex* Junckeri (*m*) *afferto poterit conjicere*]: *cujus nempe tractatum* de Peste *supra commemoravimus; unde, eo fatente, clare deducitur, quod ipse id scripserit anno* 1448. *Quapropter* Saladinus, *Rex Syriae, & Aegypti, ob quamplurima facinora celeberrimus, hic indicatur, qui anno* 1164. *Aegyptum cepit, & mortuus est* (*n*) *anno* 1193. *Cum itaque saeculo XII., vel initio XIII. Arabico idiomate tractatum hunc de* Malis Limoniis EBENBITAR *scripserit, ipsum postea latine reddidit* Andreas Alpagus Bellunensis, *quem initio Saeculi XVI. floruisse, praecitatus eruditissimus* Comes Mazzucchellus *ibidem auctor est. Attamen ex hisce non aeque patet, quod* EBENBITAR *noster ille ipse sit, quem Auctorem Libri* de Medicamentis Simplicibus *fuisse* Bellunensis, *aliique permulti censent. Etenim* Alpagus, *etiamsi in* Avicennae *Operibus, atque praesertim* in Arabicorum nominum interpretatione *multoties* EBENBITAR *nominet, tam uti unum ex* Avicennae *Expositoribus, quam uti Auctorem praefati Libri* de Simplicibus: *nunquam tamen,* [*quod ego sciam*] *hunc de* Limoniis Malis *tractatum ibidem tangit, quem ipse caeteroquin ex Arabico*

Ser-

(m) Juncker Conspect. Physiolog. &c. Tab. 1. Saecul. XII. n. 39. *Inter Italos celebriores Medicos, qui Saeculo XII. floruerunt,* Saladinum ab Esculo *recenset.*

(n) Morer. Le grand Dictionair. Historiq. Tom. 4.

Sermone in Latinum converterat. Eoque magis de hoc ipso dubitandi nobis ansam praebet Seguierius (o), *qui Arabicum Auctorem Libri* de Medicamentis Simplicibus in decem Capita digesti , *commemorans , dicit , eum scripsisse anno Christi* 1295., *novem nempe supra septuaginta annis ab obitu alterius* EBENBITAR, *de quo paulo antea verba fecimus. Praeterea dubium quoque movent diversi illi modi, quibus Auctor Libri* de Simplicibus, *ad differentiam alterius, in eadem* Seguierii Bibliotheca *nominatur. Illius quippe alia nomina ita ibidem scripta reperio.* ABDULLAB-BEN-ABMED , BEN-MUHAMED, & MALEQUI ELASCIAB, notior nomine IBN BEITHAR. *Nihilominus secus etiam conjectari nobis hinc licet; quippe quia tam* BEITHAR , *quam* ABDULLAB-BEN-ABMED *nomina alteri pariter assignata conspiciuntur, etsi in aliis minime consentiant : unde non immerito suspicandum foret, quod, ob errorem Typographi, tam diversa illa annorum nota fuerit huic assignata . Contra tamen illud maximi momenti adhuc esse reor, quod, ubi in praecitata* Seguierii Bibliotheca , *tractatus de* Limoniis Malis *Auctor* EBENBITAR, *sive* EMBITAR *dicitur; nullo modo Lectorem admonet, quod ille ipse quoque Librum* de Medicamentis Simplicibus *exaraverit; de quo postea in secunda parte ejusdem* Bibliothecae *mentio habetur, ut diximus.*

† 3 *Addo*

(o) Jo; Francisc. Seguier. Bibliothec. Botanic. Part. II. A.

Addo denique, quod Junckerus (*p*) *de* Abenguefit Bulcasen *loquens, ceu de Scriptore Saeculi XII., eidem adjungendum esse monet* ABENBITAR, *velut Auctorem Operis*, quod de Simplicibus Medicamentis, ordine alphabetico, congessit: *de quo quidem* Stollii Historiam [*quam ego hactenus nunquam legi*] *conferendam esse animadvertit. Unde, si dicamus cum* Junckero, *quod ipse* ABENBITAR *scripserit Saeculo* XII, *hoc non consentit cum* Seguierii Bibliotheca, *quae anno* 1295. *illud Opus conscriptum esse, designat.*

Ast haec omittamus, quae sane, quomodocunque ea sint, ad propositum nostrum parum faciunt. Interest enim magis, quod unusquisque sciat, me, ut publica grati animi significatione, collatum mihi a Ghisio *munus, quoquo modo augerem, Tractatum* EBENBITAR *commentariis, uti potui, explicasse, propter quod eo utilior, ad exercendam Artem, Tyronibus potissimum evaderet. Haud enim despero fore, ut conatus mei sanioribus Medicis quadamtenus satisfaciant: eo quia nunc magis, quam alias, succi praecipue* Limoniorum *usus plurimi fieri soleat: quotiescunque scilicet aut in Sanis, aut in Aegrotis* alcalescant *humores, vel bilis abundet, vel aestuet nimis: simulac inde caeteris gratior paratur potio. Idcirco tametsi certo scirem, hujusce suavis pharmaci usum satis nunc notum cuique esse, nec non ubique locorum familiarem penitus; non ideo tamen a proposito destiti. Nam eo praecipue animo commentaria haec conscripsi,*

(p) Juncker. Conspect. Physiolog. &c. Tab. 1. Saec. XII. n. 37.

scripsi, ut modum Tyrones agnoscerent, atque tempus, quo, juxta peculiares circumstantias, hisce fructibus utendum nobis est, aut ab illis abstinendum, ne forte summis eorum laudibus alliciti, iis frustra, vel temere ipsi utantur. Etenim verebar, ne ea, quae summatim de Malorum Limoniorum *facultatibus scripserat* EBENBITAR, *uti nimis revera probant, ita facile incautos deciperent Medicos. Alioquin, si Arabicus hic Auctor fluxe magis, quam par erat, eorum vires commendare visus est, excusationem mereretur: cum ille primus inter Arabes Medicos eoque magis inter Latinos, adamussim de iis edisseruerit. Quandoquidem, quae de* Malis Medicis, *scilicet de* Citriis, *apud Priscos Artis Professores, laudes existunt, non omnino ad* Limonia *pertinent [licet maxima inter utrosque fructus similitudo intercedat] uti fusius in commentariis ostendemus. Atque hoc profecto* Alpagus *indicare tunc voluit, quum, ad* Benedictum de Montesilice *scribens, animadvertit, quod ab* Avicenna, & a Latinis diminute de ipsis scriptum fuerit, *eorundemque* juvamenta ab ipsis Latinis *praesertim fuerint* ignorata. *Siquidem hoc adverbium barbarum* diminute, *non* exacte, *non* accurate, *non* diligenter, *sed* parce *potius hic sonat, vel* paululum; *nisi alioquin* Glossarii (q) *explicationi quispiam inhaerens, existimet, quod* diminute *idem hic significet ac* de verbo ad verbum, *aut*

(q) Glossarium ad Scriptor. mediae & infim. latinitatis &c.

potius minutim, *vel* minutatim: *ex quo sane* Bellunensis *mentem haud satis hic assequi possumus. Preterquamquod, me toties antea errasse, candide, libenterque fateor, quoties in aliis, a me editis, Libris, de borum fructuum praestantia loquens, non* Limonia, *sed* Medica Mala [*quod sane ad* Citria *magis proprie spectat*] *scripsi, caeteroquin alios non paucos imitatus, qui eodem modo pluries hallucinati sunt; adeo ut aliqui fere ad libitum tam* Citria, *quam* Limonia Mala *appellare visi sint, atque simul utrorumque fructuum facultates quammaxime confundere. Hinc quoque factum esse censeo, quod celeberrimus Civis noster* Baptista Platina [*quem melius* Bartholomaeum de Sacchis *Historicus noster Clar.* Franciscus Arisius (*r*) *vocat*] Malorum Medicorum *nomine, non* Citria, *non* Limonia, *sed* Aurantia *speciatim tunc indicare voluerit, cum pleraque, ad* Citriorum *miras facultates pertinentia, summatim* (*s*) *recensuit. Neque vero*

(r) Francisc. Aris. Cremon. Literat. Tom. 1. §. 75.

(s) Platina de honest. volup. & valetud. lib. 2. de Citro, *cujus quidem, quas ipse memorat, proprietates, haud abs re hic erit subnectere, dum ita ait.* – Citrum, vel Citreum Cloantius & Malum persicum a Provincia vocavit. . . . Varia habentur genera. Alia enim sunt, quae Sylva confinis Mauritaniae producit. Alia, quae in Italia, & Media nascuntur. Omnium tamen magnitudine, potiusque genere differentium, eadem fere vis est. Odoratissima enim sunt: & vestibus interjectas tineas necant: Unde & odorata vestis citrosa a Nevio vocatur. Generantur autem in Perside omni tempore. Alia enim praecar-

vero putemus, quod si fructus isti, ut diximus, Mala Limonia *vocitentur, cum* Limonio *(t) herba ii unquam possint confundi: quippe quod* Limonium Malum *qui scribit, is aequivocum omne tollit.*

Cum itaque Commentaria haec scribere, nec non edere modo decrevissem, tam Cremonensem EBENBITAR *editionem, quam Venetam, & Parisiensem ob oculos habui, easque omnes, veluti* Textum *hic Lectoribus data opera exhibui; atque tunc praecipue, quum inter editiones hasce differentiam eam adesse deprehendi, quae alicujus momenti foret: dum alioquin diversae interpunctionis nihil pene sollicitus fui. Ita & neminem movere debet, si aliquot* EBENBITAR *excidere voces, quae alicujus forsan obtundere aures queant, cum illas tunc temporis ejusmodi Auctorum scribendi consuetudo ferret. In hisce vero Commentariis exarandis, ut aliquo*

---

praecarpuntur: alia interim maturescunt. Putantur enim in venenis contraria, quod trita cum vino purgatione virium suarum bibentes servant. Non tamen una, eademque virtus in omnibus Citri partibus est. Putamina enim calida sunt: quod intus est, semiacidum: ac per hoc stypticam vim habere manifestum est. Assis, & calidis obsoniis adhibentur omni tempore: aestate tamen praecipue: quod bilem reprimunt, sitim extinguunt, & desiderium edendi inducunt. Multis Aegritudinibus Citrea vis medetur. Nam & praegnantes Mulieres a nausea vindicat: & tritum in potione Vini datum, Lieni, ac quaerelis Jecoris medetur. Sunt qui Citrum tessellatim concisum, ex sale, oleo, & aceto comedant. De Malis Citreis, vel Medicis, quae vulgo *Narancia* vocamus, eadem fere dici possunt.

(t) Matthiol. Com. in lib. 4. Dioscorid.

aliquo procederem ordine, Francisci Buttironi *exemplum imitatus*, EBENBITAR *opusculum in tot divisi capita: in quibus singulis, simulac Auctoris mentem assequi conatus sum, quamplura fusius, clariusque explicui, quae vix cortice tenus, ut dicimus, indicata ab eo fuerant; uti ea, quae magis scitu digna mihi visa sunt. Identidem & alia addidi, quae ad eandem materiem quomodolibet spectarent, aut saltem instruere Tyrones possent; adeo ut ipsi causas, vices, complicationes, aliasque differentias eorum morborum assequerentur, in quibus speciali modo ad* Limoniorum Malorum *usum, iis unquam, ratione duce, confugere necesse foret. Ita enim fiet, quod ipsis nunquam illud* Plutarchi (*u*) *dictum aptetur*: Qui multis Aegris paria medicamina, exquisito modo, & pondere dispensat, ridiculus sit. *Quandoquidem mea maxime intererat, ut non modo iis faverem, qui jure huic remedio, pro re nata, sunt addicti; verum etiam eorum incongruam cohiberem sollicitudinem, qui ad illud semper indiscriminatim sese referunt.*

Meam ergo mentem paucis accipe, Lector benevole. Nec enim diffido fore, ut laboribus meis faveas, aut alii saltem hinc excitentur, ut nova, eaque meliora addere in posterum quaerant. Atque, cum hisce temporibus, longe facilius, quam olim, Censores insurgant, & ii praecipue, qui, etiam ultra proprios cancellos, dominatum affectant; hosce, cum Cicerone

(u) Plutarch. Quaest. Conviv. lib. 2.

Cicerone (*x*) *sic alloqui opportunum existimo*. A vobis, Judices, antequam de ipsa causa dicere incipio, haec postulo: primo id, quod aequissimum est, ut ne quid huc praejudicati afferatis. Etenim non modo auctoritatem, sed etiam nomen Judicum amittemus, nisi hic ex ipsis causis judicabimus: ac si ad causas judicia jam facta domo deferamus. Deinde si quam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio convellet, si ratio labefactabit, si denique veritas extorquebit: ne repugnetis, eamque animis vestris aut libentibus, aut aequis remittatis.

(x) Cicero pro A. Cluentio Avito.

EX mandato A. R. P. F. Aloysii Chiesa O. P. sacrae Theologiae Magistri, & Vicarii Generalis S. Officii Cremonae attente legi Librum, cui titulus: *In Ebenbitar Tractatum de Malis Limoniis Commentaria Pauli Valcarenghi &c.* Nihil in eo reperi, quod probis moribus, aut Catholicae Fidei adversetur: immo, spectata Nobilis, & Celeberrimi Professoris perspicacitate, doctrina, & eruditione, qua Opusculum hoc eleganter illustravit, maximum inde, ob plurimas in primis Theoriae, & Praxeos animadversiones, tanto Viro dignas, ad Medicos emolumentum permanare, censeo.

Cremonae Idibus Julii MDCCLVIII.

Joseph Migliavacca Philos. & Med. D. & S. Officii Medicus.

Attenta suprascripta Attestatione
Die 29. Julii 1758.
IMPRIMATUR
Fr. Aloysius Chiesa Vicarius Gen. S. O. Cremonae.

1758. 30. Julii
IMPRIMATUR
De Silva Praetor.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I. *DE malis Limoniis in genere, atque praecipuè de eorum cortice. pag. 5.*

CAPUT II. *Quod duobus modis ex malis Limoniis exprimitur succus. pag. 24.*

CAPUT III. *De natura, & proprietatibus succi malorum Limoniorum, cum suis corticibus expressorum. pag. 41.*

Articulus I. *Quod malorum Limoniorum succus incidens, & abstergens suapte natura vere sit. pag. 43.*

Articulus II. *Quod malorum Limoniorum succus, uti abstergens, ab extra Corpora detergat, ideoque in plurimis cutis morbis utilis sit. pag. 49.*

Articulus III. *Quod malorum Limoniorum succus, ut incidens, tenaces, & viscidos humores adeo solvat, ut genitos ab iis morbos evincat. pag. 55.*

Articulus IV. *Quod malorum Limoniorum succus, uti attemperans nimium humorum aestum, valeat in febribus inde ortis, in inflammationibus, & apostematibus peculiaribus. pag. 59.*

Articulus V. *Quod malorum Limoniorum succus potissimum attemperet Bilis aestus, seu mavis, furorem, ideoque sedet morbos, & accidentia, quae ab illa fiunt. pag. 71.*

Articulus VI. *Quod malorum Limoniorum succus, simulac humores attemperat, insuper incidat, & abstergat, juxta indigentiam. pag. 86.*

Articulus VII. *Quod malorum Limoniorum succus, tanquam Bezahar contra venena, sive tanquam alexipharmacum remedium, haberi merito debeat. pag. 100.*

Articulus VIII. *Quod malorum Limoniorum succus non noceat*

alicui membro, sed nervis tantum, & iis demum Hominibus, qui frigida temperie pollent, pag. 128.

Articulus IX. *Quod malorum Limoniorum succus magis, quam Acetum, conveniat, congrua facta utriusque comparatione. pag.* 136.

Articulus X. *Quod malorum Limoniorum succus, pro nutriendo Corpore, nihil valet. pag.* 143.

CAPUT IV. *De Virtutibus Seminum Limoniorum* 146.

CAPUT V. *De Limoniis salitis.* 151.

CAPUT VI. *De Limoniis insertis super Citrum.* 157.

CAPUT VII. *De Syrupo de Limoniis.* 167.

CAPUT VIII. *De Juvamentis pluribus Syrupi de malis Limoniis.* 175.

CAPUT IX. *De Syrupo Limoniorum cum Citoniis.* 192.

CAPUT X. *De Syrupo Limoniorum cum Mentha.* 200.

CAPUT XI. *De qualitatibus succi Limoniorum, Soli expositi.* 211.

CAPUT XII. *De condimento Limoniorum.* 215.

ANDREAS

ANDREAS BELLUNENSIS

EXCELLENTISSIMO D. BENEDICTO DE MONTESILICE

Physico Veneto Primario S. D.

Emini Praeceptor observandissime Excellentiam tuam summopere desiderare ut si quid de Limonibus scriptum est ab Auctoribus arabicis illud latinum facerem: quum ab *Avicenna* & a Latinis diminute de ipsis Limonibus scriptum fuerit. Quare cupiens tuo desiderio pro immensis beneficiis tuis in me collatis satisfacere: Statui sermonem de Limonibus arabicum ab auctore EBEMBITAR nominato in latinum traducere, ac ipsum transmittere tuae Excellentiae ut ipsa & posteri alii intelligant juvamenta quamplurima ab Auctoribus arabicis diligenter annotata, & ab ipsis Latinis ignorata. Vale.

Ita legitur haec epistola tam in manuscripto Cremonensi, quam in editione Veneta.

TRAC-

TRACTATUS
EMBITAR ARABIS
PER ANDREAM BELLUNENSEM

Latinitate donatus.

ANDREAS BELLUNENSIS
EXCEL. D. BENEDICTO DE MONTESILICIS

Physico Veneto Primario S.



Emini Praeceptor obſervandiſſime Excellentiam tuam ſummopere deſiderare, ut ſi quid de Limonibus ſcriptum eſſet ab Authoribus arabicis, illud latinum facerem : cum ab *Avicenna* & a Latinis diminute de ipſis Limonibus ſcriptum fuerit. Quare cupiens tuo deſiderio, pro immenſis beneficiis tuis in me collatis ſatisfacere, ſtatui ſermonem de Limonibus arabicum vertere, ac ipſum tranſmittere tuae Excellentiae, ut ipſe, & poſteri alii intelligant juvamenta quamplurima ab Authoribus Arabicis diligenter adnotata, & experta fuiſſe, quae a Latinis ignorantur. Vale.

Ita legitur haec epiſtola in editione Pariſienſi.

EBEM-

EBEMBITAR

TRACTATUS DE LIMONIIS MALIS

Ex Manuſcripto Cremonenſi.

DIxit ABENGIEMIHA Limon eſt compoſitus ex partibus tribus habentibus diverſas virtutes & juvamenta diverſa: & hujuſmodi quidem partes ſunt cortex: Et acetoſitas: Et ſemen eius. Dicamus autem primo de cortice, quod in ſapore ejus apud maſticationem ipſius apparet amaritudo plurima & acuitas pauca, & ſtipticitas occulta: & cum hoc in ipſo cortice eſt aromaticitas manifeſta: & illud ſignificat quod in natura ipſius eſt calefactio propinqua temperamento, & exſiccatio manifeſta & propter illud eſt complexio ipſius corticis calida in primo gradu ſecundi ſicca in fine ejus: & propter amaritudinem & ſtipticitatem & aromaticitatem quae eſt in ipſo cortice dicendum eſt quod cortex limonis eſt confortans ſtomachum proprie & excitans appetitum cibi adjuvans bonitatem digeſtionis; bonum faciens oris odorem: & bonificans odorem eructationis: confortans cor: rectificans qualitates humorum malorum: & cum hoc eſt in eo virtus bezartica per quam re-

ſiſtit nocumento venenorum bibitorum aut ab extra accidentium & liberat ab eis: & hoc eſt quod affirmatur de ipſo quando ſumitur ſecundum ſemitam medicinae. Cortex vero limonis ſecundum viam cibi eſt difficilis digeſtionis tardae deſcenſionis pauci nutrimenti: & ſignificat hoc durities corporis ejus: & ſoliditas ſubſtantiæ ipſius & difficultas maſticationis ejus & remanentia ſaporis ejus & odoris ipſius in viſceribus longo tempore.

Ex editione Veneta Anni 1583.

DIxit EBENGEMIHA Limon eſt compoſitus ex partibus tribus, habentibus diverſas virtutes, & juvamenta diverſa: Et hujuſmodi quidem partes ſunt cortex, & aceroſitas, & ſemen ejus. Dicamus autem primo de cortice, quod in ſapore ejus apud maſticationem ipſius apparet amaritudo plurima, & acuitas pauca & ſtipticitas occulta: cum hoc in ipſo cortice eſt aromaticitas manifeſta, & illud ſignificat, quod in materia ipſius eſt calefactio propinqua temperamento, & exſiccatio manifeſta. Et propter illud eſt complexio ipſius corticis calida in primo gradu: vel in principio ſecundi, ſicca in fine ejus: & propter

ter amaritudinem, & ſtipticitatem, & aromaticitatem, quæ eſt in ipſo cortice dicendum eſt, quod cortex limonis eſt confortans ſtomachum proprie, & excitans appetitum cibi: adjuvans bonitatem digeſtionis, bonum faciens oris odorem & bonificans odorem eructationis, confortans cor, rectificans qualitates humorum malorum: & cum hoc eſt in eo virtus bezartica, per quam reſiſtit nocumento venenorum bibitorum, aut ab extra accidentium, & liberat ab eis, & eſt hoc, quod affirmatur de ipſo, quando ſumitur ſecundum ſemitam medicinae. Cortex vero limonis ſecundum viam cibi eſt difficilis digeſtionis, tardæ deſcenſionis, pauci nutrimenti: & ſignificat hoc durities corporis ejus, & ſoliditas ſubſtantiae ipſius, & difficultas maſticationis ejus, & remanentia ſaporis ejus, & odoris ipſius in viſceribus longo tempore.

Ex editione Pariſienſi Anni 1602.

DIxit EBENGIEMIHA, Limon eſt fructus compoſitus ex partibus habentibus diverſas virtutes, & juvamenta diverſa, & hujuſmodi quidem partes ſunt: cortex, & acetoſitas, & ſemen ejus. Dicamus autem primo de cortice, quod in

ſapore ejus apud maſticationem ipſius apparet amaritudo plurima, & acuitas pauca, & ſtipticitas occulta, & cum in ipſo cortice eſt aromaticitas manifeſta: & illud ſignificat, quod in natura ipſius eſt calefactio propinqua temperamento, & exſiccatio manifeſta, & propter illud eſt complexio ipſius corticis calida in principio gradus ſecundi, ſicca in fine ejus, & propter amaritudinem, & ſtipticitatem, & aromaticitatem, quæ eſt in ipſo cortice dicendum eſt, quod cortex Limonis eſt confortans ſtomachum proprie, & excitans appetitum cibi, adjuvans bonitatem digeſtionis, bonum faciens oris odorem, & bonificans odorem eructuationis: confortans cor, & rectificans qualitates malorum humorum, & cum hoc eſt in eo virtus Bezahartica, per quam reſiſtit nocumento venenorum bibitorum, aut ab extra accidentium, & liberat ab eis, & hoc eſt, quod affirmatur de ipſo quando ſumitur ſecundum ſemitam medicinæ: cortex vero Limonis ſecundum viam cibi eſt difficilis digeſtionis, tardæ deſcenſionis, pauci nutrimenti: & ſignificat hoc durities corporis ejus, & ſoliditas ſubſtantiæ ipſius, & difficultas maſticationis ejus, & remanentia ſaporis ejus, & odoris ipſius in viſceribus longo tempore.

CAPUT

CAPUT I.

De malis Limoniis in genere, atque praecipue de eorum cortice.



UM Limoniorum malorum facultates hoc aevo tanti fieri soleant, non modo ad conservandam, verum etiam ad restituendam sanitatem; ut in plerisque morbis, atque in iis maxime, qui perniciosi sunt, uti efficax & suave praesidium, fructus isti passim usurpentur: hinc mirum videtur esse, quod nulla fere, apud primaevos cordatiores Medicos, accurata eorum mentio reperiatur. Enimvero de eorumdem usu nihil pene legitur apud *autenticos* Auctores, nisi apud *Avicennam in 4. Canone de cura febrium acutarum in genere*, uti apposite cum *Matthaeo Silvatico* animadvertimus; cujus textus hic (*n.* 1) subnectitur. Verum quia de Citriorum malorum viribus, eorumdemque praeparationibus, & usu vario (tam quod ad Medicinam, quam quod ad rei culinariae blandimenta, & luxum attinet) vix ullus ex celebrioribus antiquis Auctoribus occurrit, qui quadantenus saltem, sin minus fuse diligenterque non edisseruerit: Idcirco conjectandi locus adest merito, quod ipsi, sub Citriorum malorum nomine, Limonia praeterea comprehende-

 re

(n. 1) *Limon fructus pulcher, odoratus, plenus succo acetoso, valde apto salsamentis: & ipse etiam comeditur sale conditus. Nusquam memini me de ipso legisse apud Auctorem autenticum, nisi apud Avicennam in 4. Canone de cura febrium acutarum in genere, ubi jubet dari aquam acetositatis Limonis non saliti.*
Matth. Silvatic. Pandect. cap. 508.

re voluerint: uti prae aliis *Nigrisolius* (2) existimat. Atque potiore jure conjectura haec veritati ideo magis conformis videtur esse, quod easdem propemodum facultates, quibus Citria mala pollere ii omnes arbitrabantur, eas, inquam, paucis mutatis, & Limoniis plerique attribuerint, quotquot de hisce verba fecisse comperiuntur. Addam insuper, quod praecitatus *Nigrisolius*, dum in eo progymnasmate tam de succi Citri, quam de succi Limoniorum viribus adamussim agit, caute praenotandum esse voluit, quod ea, *quae* ibidem ab ipso referuntur *de Citri viribus, eadem Limonibus appellatis erunt tribuenda*. Et sane quis ignorat, quod, qui de Citriis & Limoniis malis, atque de utrorumque utilitate sermonem instituerunt, ii prorsus innuunt omnes, quod utrique fructus isti aeque ad eosdem valent usus, eoque maxime quia ipsi, quod ad qualitates suas, vere congeneres (3) appellantur? Neque solum

---

(2) *Animadvertit Manardus lib. 15. epist. 3. vel de Limonibus Antiquos non meminisse, vel eos sub Citri nomine comprehendisse, adeo ut Citri nomine, Limones etiam veniant, Brasavoli testimonio.*
Hieronym. Nigrisol. Progymnas. 2. de succi Citri & Limonum viribus.

(3) *Non longe natura, & viribus a Citriis distant mala Limonia, & Aurantia dicta, & illa, quae Adami poma vulgo dicuntur.... Tametsi Limonia magis cum facie, tum facultate Citria referant.*
Matthiol. Com. in lib. 1. Dioscorid.
Limonia mala Citrii mali virtutes aemulantur, nisi quod ut magis acidiuscula sunt, ita & magis refrigerantia.
Ettmuller. Op. Omn. T. 2. in Schroder. n. 192.
Citro congener est malus Limonia.
Limonia mala *valent ad eosdem usus atque Citria.*
Geoffroy T. 2. Mat. Med. Part. 2. Sec. 2.
I Limoni *anno la medesima qualità che i Cedri, ma più debolmente.*
Castor Durante nel Tesoro della sanità.

ſolum Citria mala cum Limoniis plurimam habent relationem, ſed etiam cum Pomis Aurantiis, atque cum aliis, quae Poma Adami nuncupantur; adeo ut *Joſeph Lanzonus* (4) ſub ipſo Citriorum genere tum Limonia, tum alios praecitatos fructus comprehenſos eſſe, nihil dubitet. *Mangetus* tamen, etſi cum aliis exiſtimet, (5) quod malum Limonium cum Citrio (cui quidem mali Medici nomen potiſſimum *Theophraſtus* (6) prae caeteris adſcribit) congener ſit; admonet tamen, quod ideo fructus ille ab hoc differt, quia ille minor mole eſt, & inſuper *cortice tenuiore, copioſiore pulpa eaque acidiore*, quam iſte, praeditus eſt. Id ipſum animadvertit *Geoffroy* loco ſupra citato, tunc cum Limoniorum malorum arborem, folia, flores, & fructus conſiderans, eorum a Citriis differentias praecipuas exhibet. Etenim jure meritoque adnotat, quod Limoniorum arbor, *ſatis procera, nec tamen admodum, plerumque ramoſa, oblongo Citri folio, ſed breviore, crebris ſaepe aculeis, at minoribus, languidi odoris, flore propemodum aequali, fructu in ovalem figuram conglobato, ſed contractiore, remiſſius flavente, ac levius odorato, Citrum ex parte repraeſentat. Ab eo tamen diſtinguitur fructu minore, cortice ramoſo, ſeu interiore, tenuiore, copioſiore pulpa, ac ſucco uberiore, ut interdum nihil fere niſi ſuccum contineat, eòque magis acidum, quam quod mandi facile queat.* Eamdemque differentiam inter hoſce fructus adfert *Matthiolus* eodem, ut diximus, loco, dum ita ait. Limonia mala ſunt *Citriis minora, oblonga, cute non adeo craſſa, & magis ſucco praegnantia, qui*

(4) *Animadvertendum autem, ſub ipſo Citrorum genere comprehendi Poma Aurantia, Limonia, Poma Adami &c.*
Joſeph Lanzon. Citrologia Part. 1. cap. 1.

(5) Manget. Biblioth. Pharm. Med. T. 2. lib. 12.

(6) Theophraſt. de Hiſtor. Plant. lib. 4.

gustu acidior percipitur, semine fere simili, & colore pallido. Ibidem demum *Geoffroy* concludit, quod quia *Limonia mala* comparata *cum Aurantiis & Citriis sunt gustu acidiora, ideo magis refrigerantia ea esse verisimile est:* uti ex his, quae postea dicemus, manifestum fiet. Cum vero easdem fere, quod ad haec, animadversiones ibidem exhibeat *Mangetus*, ubi istorum fructuum comparationem instituit: eas hic data opera omittimus. Varia praeterea ac specialia, quae Citriis malis adscribuntur, nomina a Limoniis ea distinguere consuescunt. Nam ab iis Regionibus, a quibus ea primum delata esse creduntur (uti adnotat *Theophrastus*) veluti a Media, & Persia, tam *Medica*, quam *Persica* vocata ipsa sunt; uti etiam *Assyria*, vel *Aurea* mala, vel *Hesperica*, *auctore Juba*, ea nominat *Lanzonus* (7), qui insuper *Virgilii* testimonio (8), Citrium hoc pomum tam excellens vi sua dicit esse, & commendabile,

. . . . quo non praestantius ullum,
Pocula si quando saevae infecere Novercae,
Miscueruntque Herbas, & non innocua verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.

Caeteroquin ut speciatim, pro instituto nostro, de Malis Limoniis hic agamus, cum praelaudato *Mangeto* animadvertimus, quod eorum variae emergunt species, dum scilicet istiusmodi fructus aut anserini ovi formam magnitudinemque referunt, medioque, ut ita dicam, inter Citrium & Aurantium, odore pollent: aut globosi sunt, sed Citrio minus: & utroque extremo velut eminente: aut oblongi facti, ovi gallinacei figuram & molem exhibent: aut denique globosi quidem aliter

(7) Joseph Lanzonus Citrolog. Part. 1. cap. 1.
(8) Virgil. Georgic. lib. 2.

aliter sunt; ast aequali magis superficie. Hisce alias ejusdem fructus differentias idem Auctor addit, easque a G. *Bauhino* petitas: sive quia nempe acidus ille speciatim est, atque consuetae magnitudinis: sive major mole, sed dulcior: sive oblongus, & tenuissimo obductus cortice, adeo ut *Limis* assimiletur: sive rotundam orbiculatam referat formam, *Limis* aliis similem: sive praegnans dici debeat, eo quia fructum alium minorem in se contineat: sive variae alterius cujusvis figurae videatur esse, totusque fere carnosus: sive minimae molis sit, nucem vix aequans, sapore tamen dulcior, & caeteris odore praestantior: sive magis adhuc exiguus, & acidissimus, quales illi sunt, qui Sylvestres in Syria, aliique in Aagypto germinare dicuntur. Quod si alias praeterea Limoniorum malorum differentias, quas *D. Tancredo Robinson* deberi *Mangetus* ait, hic retexam, Lectori gratum hoc futurum arbitror. Hujuscemodi autem sunt, ut ejusdem Auctoris utar verbis:

Limon Ligusticus insigniter variat, ut Limon S. Remi, seu Citriformis Genuensis, qui, a fructu parvo rotundo, pusilla pila nominatur.

Limones Neapolitani multum variant; ut Limon Cajetanus, figura ultra vulgarem modum ovale, ut cacumine fastigiata; Limon Amalphitanus forma oblonga, apice admodum eminente; Limon perpusillus Calabrensis fructu subrotundo.

Limon Romanus a Rio, vel Rivo, insigniter cuspidatus, nonnunquam digitatus.

Limon praegrandis Dominae Laurae.

Limon incomparabilis, figura in oblongam & rotundam ovata.

Limon imperialis caeteris productior, satisque crassus.

Limon medulla dulci duplex, vel vulgaris Gallicus, vel Olysipponensis.

Limon Pyri effigie, vulgo Peretta, sive Spatafora, isque major & minor, laevis vel striatus.

Perettae consimilis Limon, sed oblongior & angustior.

Limon Spatafora Rheginus, crasso mucrone fastigiatus, aromaticus, cortice punctim lacunoso.

Limon Rheginus fructu racemoso oblongo, paulatim extenuato in apicem cuspidatum.

Limon striatus, sive caniculatus, summa parte muliebrem in papillam extuberante.

Limon striatus Amalphitanus, mali Citrii magnitudine, cortice perquam verrucoso & scabro.

Limon Shardonius, rotundus, manente floris apiculo, velut rostratus.

Limon Rosolinus, umbone retorto in mucronem emisso, bene fastigiatus.

Limon Florentinus Barbadorus, foliis serratis, viridi atrore pictis, & Hyperici modo punctim pertusis, & translucidis.

Limon scabiosus leprae facie.

Limones varii Citrati, laeves, & scabri, & alios Limones saepe includentes.

Limon Pseudo-Citratus Barberinorum.

Limon Citratus Sylvestris.

Limon globosus Ponzinus, isque quintuplex: Ligusticus, Rubens, Romanus, Chalcedonius, Tripolitanus.

Limon Sponginus Calabriae rugosus.

Limon Sponginus (spongiosus) Liguriae verrucosus.

Lima est multiplex: dulcis, acris, Agri Privernatis, Romana Citrata.

Lima Citrata oblonga, scabiosa, & monstrosa, quandoque & subrotunda.

Lima subrotunda, spinis, crassitie, & longitudine vastissimis, Piorum in Hortis Romae.

Praeter hosce *exigui Limones* (9) *vulgatissimi sunt Surinani fructus,*

(9) Mariae Sibil. Merian Differt. de Generatione & Metamorph. Insector. Surinanens. &c. fig. XVII.

fructus, qui cibis fere omnibus apponuntur, & cum illis assumuntur. Exiguorum Citrorum est species quaedam, in Sylvis nascens, cujus arbor ad altitudinem procerae Mali excrescit.

Variae autem hujusmodi, & aliae etiam, si quae unquam alicubi occurrunt, Malorum Limoniorum differentiae, tametsi pleraeque a speciali Arborum istarum natura suboriantur: aliquae tamen variis surculorum insitionibus, uti & Aëris temperiei, in diversis locis dominanti, sunt adscribendae. Quandoquidem vero horum fructuum varietatem considerandam hic esse volui, non ideo id praestiti, quia de peculiaribus ipsorum facultatibus verba singillatim facere in animo habeam: sed ut curioso solum Lectori quoquo modo satisfacerem. Ex hisce namque Limoniis malis pleraque vel rara sunt adeo, quod in usum Medicinae minime veniant: vel iis non pollent viribus, quas in propositum nostrum investigandas assumpsi. Ea ideo Mala Limonia consideranda solum mihi modo propono, ad *Ebembitar* mentem, quae, utpote vulgaria, ubique fere locorum apud nos germinant, atque maxime ex Benaci Lacus, & Ligustici Maris, & Neapolitanis oris procedunt; quae Citriis minus fragrantia sunt, minus crassum habent corticem, atque demum acido succo ita abundant, ut eo undique turgeant.

Anteaquam tamen de Malorum Limoniorum viribus distincte loquar, quales de iis apud Antiquos laudes extent, haud abs re erit hic summatim enarrare. Quae tamen laudes, etsi Citriis malis praecipue tribuantur, aeque Limoniis magna ex parte conveniunt: eo quia (sicuti initio diximus) utraque haec Mala fere iisdem praedita sunt facultatibus, sin minus quam proxime: eoque maxime quia de Limoniis super Citrum insertis potissimum hic cum *Ebembitar* agimus. *Aemilianus* (10) *Doctissimum ait Ju-*

bam

(10) Athenaei Coen. Sapient. lib. 3. cap. 5.

bam Mauritaniae Regem meminisse de Citrio in suis de Lybia commentationibus, quod pomum apud eos Malum Hespericum dicit nominari: a quibus fama est Herculem aurea Mala, sic ex eo colore nominata, in Graeciam postea detulisse. Scriptum apud Asclepiadem lib. 60. Rerum Aaegyptiarum reperitur, Terram in Jovis & Junonis nuptias malum illud emisisse. In eo autem pretio Malum Citrium habitum est priscis usque temporibus, apud Magnates, & Dynastas, & Principes; ut illud, ceu datum coelitus donum, scrupulose asservare, nec non mensis, uti ornamentum illustre, potius apponere, quam mandere, consuescerent. Quod porro, licet satis esse queat, ut cuique pateat, quanti tunc fructus hujusmodi fuerint aestimati: illud tamen eo magis evincitur, si praecipue, *Athenaeo* teste, consideremus, cujusnam usus ille tunc fuerit, ad venenorum destruendam vim: de quo quidem insignis ab eo Auctore historia exhibetur; eamque plerique, de Citrii facultatibus agentes, cum adferant, nos quoque in propositum nostrum transcribere congruum arbitramur, quae ita se habet: Citrio comesto, Praedones quidam, *horrendis, crudelissimisque animalibus projecti, & Aspidibus percussi, nihil denique passi sunt. Dubius fuit dudum sane Princeps, atque militem eorum custodem, si quid vel edissent, vel bibissent, interrogavit; ut vero Citrium illis traditum eodem die fuisse cognovit, huic Citrium postero die dari, illi autem nequaquam, jussit. Is demum, qui Citrium prius comederat, nihil rursus passus est, & ille morsus statim interiit. Hoc cum multis in rebus expertum esset, inventum est denique, Citrium omnibus venenis adversum esse pharmacum. Si quis totum Citrium, veluti se habet ex ipsa Natura, in melle Attico cum semine coquat, in melle solvetur: quod si quis ex eo mane ad duos vel tres digitos sumpserit, nihil prorsus a venenis patietur. Si quispiam vero minus fortasse nostris sermonibus credendum arbitretur, discat hoc a Theopompo Chio, Viro veri maxime studioso, qui*

etiam

etiam multa nummum millia in diligentem historiae inquisitionem impendit. Quod autem non impar contra venena in Malis Limoniis vis sit admittenda, ex iis patebit magis, quae de eorum potissimum succi facultatibus infra dicemus.

Ut itaque ad rem nostram propius accedamus, cum tres partes in Limoniis Malis *Ebembitar* consideret, quae diversimode in usum Medicinae revocari solent: ego quoque de hisce singillatim loquar, atque primum de cortice.

In cortice duae adsunt partes: externa scilicet & interna. Externa pars tenuior est, plus minusve flavescens, aut flavo-virescens, pro peculiari fructuum istorum natura, & diversis maturitatis gradibus. Inaequalis superficiei pars ea est, laevigata tamen, etsi plerumque inordinate protuberans, & foraminulis, surculisque omnino referta. Flava haec pars amara quoquo modo gustui evadit, atque grato fere aromatico odore praestat, eoque magis si Mala haec ex iis sint, quae super Citriis fuerint inserta. Propter hoc (uti *VVeckerus* (11) adnotat) iste *cortex Citreo malo similis est, odoris suavitate commendatur ut Citrum, acrior Citri cortice, facultate parum dissimilis Citreo Malo, & difficile concoquitur*. Quod si corticis extima pars haec concoctu difficilis unquam dicenda est, id potiore jure de intima verum comperitur esse: quippe quod haec longe quam altera crassior existit, etsi mollior, odore nullo vel sapore praedita est, albicans, non friabilis, haud parum tenax, ita ut ope masticationis in mucosam pene substantiam abeat, quae ventriculum apprimat, ideoque & aliorum alimentorum concoctionem perturbat potius, quam adjuvat. Idcirco existimaverim, quod si speciali unquam potentia Limoniorum Malorum cortices valent: hoc ab extima

(11) Jo: Jacob. VVecker. Medic. Syntax. lib. 1. Part. 3.

ma eorumdem flava tenuissima parte, neque quidquam ab intima albicante repeti merito queat: maxime quia pars haec insipido, ut ita dicam, phlegmate revera scatet. Extima secus pars fragrantissimo oleo, sive mavis tenuissimo spiritu ditatur; qui flammae inspersus, accenditur illico, atque non modo nares jucunde vellicat, dum sponte sua indesinenterque avolat; verum etiam ex recenti cortice non exsiccato, sola digitorum compressione elicitus, vinoque commixtus, illud perquam gratum, ob adjunctum fragrantem odorem, efficit. Atque adeo Limoniorum extimus iste cortex eo fragrantissimo spiritu abundat, ut etiam sponte, quod inde prodit oleum illud, aeque vino communicetur; dummodo hoc tenuissimis hujusce corticis frustulis, in fundo cyathi positis, affundatur: perinde ac si vinum ipsum, ceu menstrum efficax, habendum sit, ad illud inde citius uberiusque eliciendum oleum, eoque pene modo, quo emeticam vim ab Antimonio citissime illud haurit. Volatilem vero efficacissimumque spiritum hunc Limonii corticibus insitum esse, prae caeteris docuit Immortalis *Boerhaavius* (12), cum inde aquam parari animadvertat, *quae sane fragrantia, saporis aromaticitatis penetrantissima suavitate, flatus, Syncopas, languores, Cordis abnormes motus ocyssime depellebat, vel parva copia*. Atque praeterea idem Auctor speciatim innuit, (13) quod oleum *mobile corticum Limoniorum ad palpitationes Cordis, ab aquoso frigido, & inerti mucoso ortas, felicissime adhibetur*. Ob aromaticum volatile principium hoc, quo extimum praecipue Limoniorum corticem ditatum esse cognoscimus, una cum grata amaritie, intelligimus etiam, quomodonam Stomacho praesertim conferat, uti ciborum concoctionem pro-

(12) Boerhaav. Elem. Chem. T. 2. Part. 1. Proces. 16.
(13) Idem ibidem Proces. 30.

promovens, & flatus cito discutiens. Quotiescunque enim mucosi inertesque humores in Ventriculi cavo lateant, qui ideo potissimum digestioni adversentur, quia gastricorum succorum ii vim debilitant, atque, contenti in interstitiis alimentorum, Aeris vim elasticam & motum impediunt: Ille penetrantissimus & aromaticus spiritus, eos, uti fas est, attenuans, inde perquam facile removere poterit; ita ut, demptis eorumdem vinculis, Aer maxime vim suam in alimenta exerat, atque etiam liberum sortiatur undique aditum, ut adinstar flatuum, pro re nata prodeat. Omni ideo jure Expertissimus *Riverius* (14) pro roborando Ventriculo, velut utilem laudat corticem Citri, & Aurantiorum conditum: quod & de Malorum Limoniorum corticibus, ob allatas supra rationes, erit asserendum. Eaquepropter Limoniorum cortices aeque ac Aurantiorum saccharo condiuntur pro bellariis, (15) atque ad eosdem valent usus. Quod quidem dum confirmat *Geoffroy*, (16) insuper addit, quod Limoniorum *fructus integri parvi, virides condiuntur quoque, & inter stomaticha recensentur. Quidam Mala haec taleolatim secta, asperso multo saccharo, comedunt, sicque appetitum languentem excitant, sitim potenter extinguunt, & febrilem ardorem compescunt.* Verum quia non eodem modo omnes hisce Limoniorum frustulis, aut mavis taleolis saccharo aspersis, utuntur; cum alii extimum penitus auferre corticem satius existiment, alii vero nequaquam: quid sane de utraque opinione sit judicandum, uti arbitror, meos modo adferam sensus. Dum frustula haec Aegroti in ore detinent, atque etiam dentibus terunt, ut sitim dumtaxat sedent, aut arceant; eo melius tunc

(14) Lazar. River. Prax. Medic. lib. 9.
(15) Manget. Biblioth. Pharmac. Med. T. 2. lib. 12.
(16) Geoffroy T. 2. Mat. Med. de Veget. Indig. Sec. 2.

tunc mihi videtur esse, quod flavus inde & albicans cortex auferatur. Secus vero cortex inde non separari debet, si una fiti prospicere, palato gratiam conciliare, & volatile illud oleum, pro roborando Stomacho, addere quispiam velit: dummodo tamen ita gravati & morbo fracti non sint Aegroti, quod durum eum corticem dentibus incidere, atque satis masticare ii minime possint. Alias autem sola extimi fragrantis corticis frustula in ore diu detinemus, ut foetor oris evincatur; simulac, ope masticationis, fragrantissimus ille spiritus inde effluens, cardiacam (ut dicimus) vim suam Corpori communicat; dum etiam pestiferum miasma, fortassis in Aere dominans, opportune corrigitur. Atque hoc eo modo prorsus intelligendum est, (17) quo *Silvaticus* existimat, quod Citrii corticis *odor rectificat corruptionem Aeris & pestilentiam, atque cortex ejus recens odorem oris efficit bonum, & ejus decoctio similiter, cum retinetur in ore*. Quamobrem eos semper laudabo, qui Nosocomia quotidie adire coacti, si unquam contagiosi ibidem morbi grassentur, ne labem facile hinc contrahant, usquedum inter ejuscemodi Aegrotos versantur, flavi Limoniorum corticis lamellas in ore detinent, easque assidue mandunt: id quod ego praesertim utile expertus sum, tunc cum in Nosocomio majore Cremonae (antequam Primarii Medicinae Professoris muneri in Regia Ticinensi Universitate essem destinatus) plus quam per viginti annos quotidie versatus fui. Namque id conforme prorsus est, authorante *Harris*, (18) mori Turcarum, qui, ut Pestis virulentae causae se opponant, dum malignantes ejusmodi dominantur febres; nedum Limoniorum Malorum succum cuique immiscent

(17) Matth. Silvatic. Pandect. cap. 345.
(18) Gualter. Harris Tract. de Morb. Acut. Infant.

ſcent juſculo, verum etiam eorumdem fructuum ſaccharata fruſtula cum cortice in ore retinent frequenter, atque dentibus incidunt. Ejuſdem quoque Limoniorum corticis maſticatio in Scorbuto & Phthyſi prodeſt maxime, tam ne illi, qui hiſce detinentur morbis, in pejus cito ruant; quam ne alii unquam, qui ſani ſunt, atque cum Aegrotis illis verſari crebro debent, ab iiſdem inficiantur. In ſcorbuticis enim aut gingivae a dominante acri humore illo ſunt exeſae, aut ulceribus ſcatent: unde illi utrinque foetidum ichorem fere ſemper in ore geſtant, qui a bibulis (ut ajunt) prope eas partes ſitis, vaſculis abſorptus, humoribus aliis eo pejorem ſuppeditat labem. Atque virus hoc, ab ore procedens, ideo corrigere poſſunt maxime maſticati ſaepe Limoniorum cortices: quia iſti fructus adverſus Scorbutum ſummopere valent: quod infra fuſius demonſtrabimus. Aliter quoque in Scorbuticis conciſus Limoniorum cortex, in ore verſatus diu, prodeſt: eo quia foetens oris halitus imminuitur, ita quod nec aliis (cum quibus ii unquam ſaepe agant) nocere adeo poſſit. Quemadmodum & ipſi, qui ſani ſunt, atque cum Scorbuticis verſari paſſim debent, eo minus ab hiſce inficiuntur, quo ſaepius praelaudati corticis fruſtula in ore geſtant, & dentibus aſſidue conterunt. Alii praeterea, quibus, ob dentium cariem, Os foetet, optimum inde praeſidium obtinent, propter quod nec ſibi, nec aliis, prae gravi, quem ſpirant, halitu, infenſi omnino ſint. Quo quidem modo & putridos ichores, & saniem ipſam a male olentibus dentium cavernulis, vel interſtitiis detergunt, uſque dum iteratis illa ablutionibus denique educant. Atque tunc ablutiones hujuſmodi utiles magis fore cenſeo, quae cum aqua fiunt, in qua Limoniorum ſuccus cum modico ſacchari fuerit ſolutus: aut iidem Limoniorum cortices, una cum hordei granis, decocti ſint.

Verumtamen quod innuimus de miri istius Corticis usu; occasione Scorbuti, Phthysi pariter id aptari potest: ut nempe tam illis, qui Phthysici sunt, quam aliis, qui cum iis versantur, congruum inde levamen eveniat. Etenim simulac in Phthysicis a Pulmonari ulcere purulenti halitus iteratis expirationibus prodeunt; ii intimam Oris superficiem undique faedant, atque proinde dum Os ipsum male olet, huic Limoniorum cortex in ore saepe evolutus, incisus dentibus, opitulatur maxime. Quemadmodum sani etiam, eamdem servantes normam, afficiuntur longe minus a noxiis halitibus illis, quibus, circumambiens Phthysicos, Aer utcumque refertus est. Quae porro omnia ut ex ipsa Praxi eruuntur, ita & congruo ratiocinio evinci possunt, attenta maxime Chymica corticis Citri analysi, quam *Geoffroy* (19) adfert. Neque mirum cuipiam videbitur, spero, quod ad probandas corticis Limoniorum facultates, analysim Citri, ab eo factam, adducam. Nam, Auctoris ejusdem testimonio, *Citro congener est Malus Limonia*, & isti fructus *valent ad eosdem usus atque Citria*, sicuti supra animadvertimus. In qua Chymica exponenda analysi, ne quidquam Lectores decipiam, iisdem Auctoris verbis utar. Itaque posteaquam ipse Citrum in quatuor partes distinxerat: in corticem scilicet exteriorem, seu flavedinem, quam modo in Limoniis praecipue consideramus: in corticem interiorem albicantem, seu mavis carnem, de qua nihilum solliciti sunt Medici: in pulpam, sive succum: atque tandem in semina; hanc instituit accuratam analysim.

Ex corticis exterioris Citri libris quinque, per retortam distillatis, prodierunt humoris limpidi, odorati, & sapidi, primo obscure salsi, deinde obscure acidi, cum oleo essentiali limpido, flave-

(19) Geoffroy T. 2. Mat. Med. Part. 2. de Veget. indig. Sec. 2.


flavescente, odoratissimo; librae tres, unciae duae, drachma una, & grana decem & octo. Humoris limpidi, citrei odoris, saporisque grati, manifeste acidi & austeri, cum oleo essentiali limpido, flavescente, grato, sub finem rufo, unciae quindecim cum dimidia, & grana triginta novem. Humoris rufi, empyreumatici, intense acidi, austeri cum levi acrimonia, unciae duae & drachmae septem. Olei tum tenuis & essentialis, tum crassi, & empyreumatici, uncia una, cum granis quinquaginta duobus. Massa nigra in retorta residua pendebat uncias quinque, & drachmas septem: quae calcinata reliquit cinerum unciam unam, drachmam unam, cum granis triginta septem: ex quibus lixivo facto, Salis fixi, mere alcali drachmae tres, & grana triginta tria extracta sunt. Partium jactura in distillatione fuit unciarum quatuor, drachmarum trium, granorum triginta sex. In calcinatione unciae quatuor, drachmae quinque, & grana triginta quinque. Subinde vero analysim quoque succi ipsius Citri exhibet, quam infra suo loco subjiciam. Atque demum concludit, quod *cortex Citrii Mali plurimum olei continet, cum sale essentiali ammoniacali subadstringente conjuncti. Quod cortex exterior, propter duritiem, in Ventriculo difficile concoquitur, quemadmodom & cortex interior, seu caro alba*, quae, non secus ac de Limoniis diximus, nullius prorsus est usus. Quod denique *exterior cortex flavescens valde odoratus est, & aromaticus, quod vesiculis constat innumeris, oleo essentiali praeditis*. Is propterea *masticatus oris habitum emendat, amarore Ventriculum roborat, vermes necat. Ipsi exsiccato vis cardiaca & alexiteria tribuitur. Flatus potenter discutit, humores crudos in Ventriculo, aut in intestinis contentos concoquens, ac digerens . . . . Saccharo conditus inter bellaria mensis secundis infertur. Electuariis etiam cardiacis admiscetur adversus morbos contagiosos, vel ad Ventriculum roborandum*. Quae quidem externi corticis Citri facultates optime cum iis, quas supra Limoniis adscriptas esse diximus, omnino consentiunt: dum-

modo concedamus, quod in flavo Citri cortice, potius quam Limoniorum, ille volatilis spiritus, seu mavis essentiale oleum, longe magis abundat; etiam si de illis agatur Limoniis malis, quae super Citrum fuerint inserta, quae ideo magis quam alia, fragranti grato odore pollent, atque magis commendantur. De hoc ipso Oleo, ad mentem *Avicennae*, loquitur *Silvaticus* (20) quod scilicet speciatim *forte* esse animadvertit. *Juncker* etiam (21) hujusce spiritus meminit, dum ita ait. *Oleum autem fragrans, quo turgent cortices, magnopere expetitur, idque e recentibus expressum cum saccharo abit in gratissimum eleosaccharum, ex quo deinde cum essentia corticum, per spiritum Citri abstractitium parata, tinctura carminativa & analeptica conficitur: etsi aliis alia via placeat. Caeterum suavissimum Oleum per B. M. acquiritur; vel si vulgari modo id destillare lubeat, non putrida poma, ut vulgo fit, sed recentes cortices sumendi sunt*. Eadem servata analogia, si Limoniorum corticis vires quis ultra velit inquirere, congruam cum Citriis comparationem instituendo, non abs re erit cum praecitato *Silvatico* animadvertere, quod *cum ponitur* Citri *cortex in pannis, prohibet tineas: & ejus odor rectificat corruptionem Aeris, & pestilentiam*. Quod *medulla Citri curat combustionem ignis . . . & curat mirabiliter ranicem Puerorum: & potissime si ex eo fit unguentum* hoc modo: *Accipe medullam Citri subtiliter incisam, & bulliat in axungia porci recenti, & postea coletur per petiam, & iterum reponatur ad ignem: & in fine misceatur mastix, olibanum, & cera alba, & erit optimum unguentum Citrinum. Aliqui conficiunt ipsum cum Citro, & axungia tantum: sed est minus bonum: & posteaquam colatum est, non reponitur iterum ad ignem. Fit similiter alio modo unguentum de Citro, secundum quod invenies in Antidotario*

(20) Matth. Silvatic. in Pandect. cap. 345.
(21) Juncker Conspect. Therap. general. Tab. 4. n. 4.

tidotario minore Galeni, *quod ibi interpretatur unguentum Citrinum*. *Sed attendendum est*, *quod quando aliquod unguentum*, *vel emplastrum fit ex Citro*, *debet fieri ex Citro bene maturo*. *Nam secundum quod dicit Avicenna*, *Diacitrum*, *& quae fiunt ex Citro*, *debent fieri ex Citro*, *Sole existente in Capricorno*, *idest in medio Decembris usque ad medium Januarii*. De quibus etiam ita sentit *Silvaticus* loco supra memorato ex *Averrhoe*.

Haec itaque omnia, quae aut per analogiam dumtaxat ex Citri proprietatibus peculiaribus eruimus, aut proprie magis de corticis viribus in Limoniis Malis consideravimus: Ea, inquam, facultates illas, quas *Ebembitar* summatim corticí huic omni jure adscripsit, adamussim patefaciunt; sive quod ad usum medicamenti, sive quod ad usum cibi. Quapropter in hisce non amplius nobis erit immorandum: eoque maxime quia per transennam alias in conspectum pleraque venient; tunc cum infra de aliis Limoniorum partibus incidet sermo.



Ex Manuſcripto Cremonenſi.

DIxit etiam quod Limon exprimitur & ex eo fit ſuccus duobus modis : uno modo exprimitur ſuccus ab eo poſt excorticationem ipſius a cortice ſuo exteriori citrino ita ut ab eo ſit excoriatus & non remanſerit ſuper ipſum niſi cortex ſubtilis albus qui ſimilatur cortici ſubtili intrinſeco ovi. Secundo modo exprimitur ſuccus Limonum cortice ipſorum remanente ſuper eos: & ſuccus quidem expreſſus poſt excoriationem eorum a cortice ſuo eſt frigidus & ſiccus in tertio gradu. Sed ſuccus eorum expreſſus cum cortice eſt frigidus & ſiccus in fine ſecundi aut in primo gradu tertii : ex hoc quod frigiditas ſucci acetoſitatis ejus frangitur & remittitur per caliditatem ejus quod de ſucco corticis permiſcetur cum eo. Et nos quidem non loquemur niſi de ſucco expreſſo cum corticibus quum ipſe adminiſtratur & eſt in uſu.

Ex editione Veneta.

DIxit etiam, quod Limon exprimitur, & ex eo fit ſuccus duobus modis, uno modo exprimitur ſuccus ab eo poſt excorticationem ipſius

ipſius a cortice ſuo exteriori citrino, ita ut ab eo ſit excoriatus, & non remanſerit ſuper ipſum, niſi cortex ſubtilis albus, qui ſimilatur cortici ſubtili intrinſeco ovi: Secundo modo exprimitur ſuccus Limonum cortice ipſorum remanente ſuper eos. Et ſuccus quidem expreſſus poſt excorticationem eorum a cortice ſuo, eſt frigidus ſiccus in tertio, ſed ſuccus eorum expreſſus cum cortice eſt frigidus in fine ſecundi, aut in primo gradu tertii, ex hoc quòd frigiditas ſucci acetoſitatis ejus frangitur, & remittitur per caliditatem ejus, quod de ſucco corticis permiſcetur cum eo. Et nos quidem non loquemur, niſi de ſucco expreſſo cum corticibus, quoniam ipſe adminiſtratur, & eſt in uſu.

Ex editione Pariſienſi.

DIxit: quod Limon exprimitur, & ex eo fit ſuccus duobus modis. Uno modo exprimitur ſuccus ab eo poſt excorticationem ipſius a cortice ſuo exteriori citrino, ita ut ab eo ſit excorticatus, & non remanſerit ſuper ipſum niſi cortex ſubtilis albus, qui ſimilatur cortici ſubtili intrinſeco ovi: Secundo modo exprimitur ſuccus Limonum cortice ipſorum re-

manente ſuper ipſos, & ſuccus quidem expreſſus poſt excorticationem eorum a cortice ſuo eſt frigidus, & ſiccus in gradu tertio. Sed ſuccus eorum expreſſus cum cortice eſt frigidus, & ſiccus in fine ſecundi gradus aut in principio tertii, ex hoc quod frigiditas ſucci acetoſitatis ejus frangitur, & remittitur per caliditatem corticis ejus, facultates enim iſtæ permiſcentur. Et nos quidem non loquimur niſi de ſucco expreſſo cum corticibus, quoniam ipſe adminiſtratur, & eſt in uſu.

CAPUT II.

Quod duobus modis ex Malis Limoniis exprimitur ſuccus.



Uae ſummatim in hoc Capite, ab *Ebembitar* caute propoſita, reperiuntur, circa modum exprimendi ſuccum a Limoniis malis, ex ſe patent adeo, ut vix ulla explicatione indigeant: poſteaquam videlicet & corticis eſſentiam, & ea, quibus cortex ipſe maxime ſcatet, principia, ſatis, ut arbitror, in antecedente Capite conſideravimus. Et ſane cum inficiari nemo poſſit, quod extimus Limoniorum tenuiſſimus flavus cortex praelaudato volatili, & mobili maxime Oleo ſcateat, quod ſola digitorum preſſione inde evolvatur, & abunde exeat; imo


imo etiam sponte sua prodiens, in eo gratissimi odoris praestantiam patefaciat: Hinc facile erit inferre, quod ille, qui a Malis Limoniis minime decorticatis exprimitur, succus recensito penetrantissimo Oleo sit refertus, ideoque & eo melior altero, qui a Limoniis, cortice carentibus, ob pressionem congruam exit, qui proptetea tali spiritu fortasse penitus, aut saltem magna ex parte, destituitur. Atque ex hoc uno prodit ratio differentiae, ab *Ebembitar* indicatae, tunc cum dixit, quod ejuscemodi succus *expressus cum cortice est frigidus, & siccus in fine secundi, aut in primo gradu tertii*: atque secus alter, *expressus post excorticationem* Limoniorum, *est frigidus & siccus in tertio gradu*. Si enim frigiditatis & siccitatis qualitates hasce a saniorum Philosophorum dogmatibus repetendo, earum genuinas assequamur ideas: intelligemus etiam, quî fiat, ut in primo casu Oleum illud tenue, & fragrantissimum, dum acido illi succo immiscetur, eum attenuantem & dissolventem magis efficiat, atque eidem penetrantem vim speciatim communicet, quam spiritus illius vere propriam esse demonstravimus. Contra vero succus alter, eo spiritu fere penitus carens, propter hoc ad agendum minus efficax esse debet. Quamobrem, cum *Ebembitar* de primo potius, quam de secundo loqui voluerit, uti de illo, qui tanquam utilior *administratur, & est in usu*: signum utique est, quod illius specialem efficaciam maxime perspectam habuerit. Nihilo tamen secius ego, de ipso agens, etiamsi ne latum quidem unguem ab Auctoris hujusce mente recedere velim: tamen animadvertendum esse censeo, quod speciales aliquando evenire circumstantiae possint, in quibus uno potius, quam altero dictorum succorum uti nobis fas erit, ut & melius & tutius Aegrotis prospiciamus. Atque hoc, ob eamdem rationem verum comperiri, arrepta occasione, potest, ob

quam,

quam, dum Alvum solvere intendimus, modo haec, modò illa seligimus purgantia remedia, eaque plus, aut minus efficacia; pro ut & morbi, & Aegroti cujusvis specialis postulat ratio: quod quidem & de aliorum quorumlibet remediorum usu verum est. Itaque si concedamus, quod expressus succus a Malis Limoniis cum cortice, ob allatas rationes, eo magis odorus, & penetrans, & incidens sit, aptiorque propterea, ut humores attenuet, ad motum sollicitet, ac una inertibus laxatisque solidis elasticitatem majorem conciliet, simulac & aciditate sua pravas humorum qualitates, eorumdemque nimium aestum corrigat, atque compescat: Ejuscemodi succus iis conveniet magis, in quibus Lymphatici crassiores dominantur humores, atque nerveae fibrillae minus oscillare aptae sunt; unde & Lypothimiae, & Syncopi, & Stomachi passionibus ii speciatim, atque magis quam alii, obnoxii evadunt. Contra vero, quotiescunque de Cholericis agitur Hominibus, atque de iis maxime, qui, utpote robustiores, magis elasticis ditantur fibris, & aestuantibus maxime scatent humoribus; qui insuper morbis illis potissimum laborant, qui ab effraenata Bile principium obtinent: tunc eo potiore jure conveniens erit magis ille succus, qui, dempto prius cortice, a Limoniis exprimitur. Fragrantis insuper, & penetrantissimi spiritus, quo praecipue (ut ostendimus) primus ille succus abundat, habenda merito ratio est in Hystericis junioribus foeminis, quae, uti a male olentibus pharmacis utplurimum levantur illico, ita ob gratos odores laeduntur maxime: quod sane dum innuo, id eo sane modo intelligendum esse volo, quo rarius foeminis illis assentiri consuesco, quae opinione falsa potius, quam ratione ductae, ita a bonis odoribus abhorrent semper, fere ac si ab omnibus indiscriminatim, & semper eae laedi deberent, praecipue cum Puerperae

sunt.

sunt. Ast quia perquam raro eae contingunt circumstantiae, in quibus praelaudatum corticis Limoniorum Oleum nocere revera possit: ideo Auctori huic concedens, quod succus expressus ab integris Limoniis longe magis efficax sit & utilior, de eo maxime in sequenti Capite ego loquar, una pro certo habens, quod, pro re nata, sagaciores Medici alium usurpabunt, si unquam opus fuerit.



Ex

Ex Manuſcripto Cremonenſi.

DIcamus ergo quod natura hujuſmodi ſucci eſt frigida & ſicca in gradu ſecundo & eſt ſubtilis ſubſtantiae vehementis abſterſionis fortiter incidens humores groſſos viſcoſos ſubtilians eos: frigiditatem vero & ſiccitatem hujuſmodi ſucci ſignificat fortis acetoſitas ejus. Subtilitatem autem ſubſtantiae ſuae ſignificat velocitas converſionis ejus ad id quod cum eo permiſcetur ſicut zucarum aut ſal. Vehementem autem abſterſionem ejus ſignificant operationes ejus manifeſtae in extrinſeco corporis humani & in aliis corporibus ſicut ablutio quam facit in exteriori parte corporis & mondificatio ejus quando cum eo fit fricatio & mondificatio quam facit in Ære & in Vaſis Æneis & eorum abſterſio ab omnibus ſordiciebus quae eis adveniunt & eradicatio macularum vel rerum ſordidarum quas a pannis eradicat; & juvamentum ejus ad morſeam nigram & pano & impetigini quando cum tali ſucco fit fricatio aut linitio ſuper ea; Virtutem autem inciſivam ipſius ſignificat illud quod apparet ex operatione ejus in flegmatibus viſcoſis groſſis adhaerentibus palato & gutturi incidendo ipſa & eradicando ea & facili expulſione ipſo-

rum

rum per ſputum. Et cum iſtis proprietatibus & virtutibus ſuccus praedictus eſt infrigidans inflammationem ſtomachi extinguens acuitatem ſanguinis & ſedans ejus furioſitatem & ebulitionem ipſius ſubtilians quod ex eo eſt groſſum conferens febribus concluſis cauſatis ex calefactione ſanguinis & factis ex putredine ipſius conferens etiam bothor & apoſtematibus generatis ex eo ſicut ſare & ſafati: & forunculis & apoſtematibus gutturis: & uvulae & amigdalarum: & ſquinantiae prohibens illud quod de materiis defertur ſeu fluit ad ea praecipue quando cum eo fit gargariſma. Conferens eſt etiam acuitati colerae citrinae: frangens malitiam ipſius & furiam ejus & abſtergens quod de ea aggregatur in epate & ſtomacho & in partibus ei vicinantibus & propter illud efficitur juvans anguſtiae & ſyncopi & triſtitiae cauſatae ab ea; & eſt abſcindens vomitum colericum removens nauſeam & ſubverſionem animae excitans appetitum cibi & commovens ipſum ſedans ſodam & vertiginem & ſcotomiam generatam ex vaporibus ejus: conferens caphachà cauſato ex vaporibus colerae nigrae: conveniens febribus tertianis puris aut non puris: & ad ſummum conveniens eſt patientibus febres antiquas omnes propterea quod

extin-

extinguit caliditatem ipſarum & incidit & ſubtiliat illud quod ex eis eſt groſſum: & abluit: & abſtergit illud quod eſt in meatibus & viis adhaerens coarctatum generans vel cauſans opilationem facientem putredinem; & eſt abſtergens quod aggregatur in ſtomacho & epate de humoribus groſſis viſcoſis: incidens ſubtilians groſſitiem eorum: adjuvans ad aſcenſum ejus quod oportet aſcendere & expelli per ſuperius per vomitum: Et adjuvans ad deſcenſum ejus quod oportet deſcendere & expelli per inferius per ſeceſſum abſcindens vomitum flegmaticum cauſatum ab humore retento in eo: prohibens ebrietatem quando ſumitur poſt vinum vicibus pluribus: Removens corruptionem vel vomitum cibi multi viſcoſi & unctuoſi molificantis os ſtomachi occurrens ei lavando ipſum a ſuperfluitatibus ſuis & unctuoſitatibus ejus & cum hoc removet molificationem ejus acquiſitam ab eis; Et cum hoc juvamento eſt bezahar reſiſtens a tota ſubſtantia venenis quae bibuntur aut ab extra applicantur ſicut venenum viperarum ſerpentum ſcorpionum & proprie ſcorpionum qui nominantur algierarat: & venenis plurimis ex medicinis interficientibus quum aſſumitur ante adventum ipſorum venenorum, aut aſſumitur poſt evacua-

tionem

tionem ejus quod eſt in ſtomacho & quod eſt cum eis mixtum cum vomitu ultimo ſeu efficaci poſt aſſumptionem lactis & butiri & ſimilium; Et in ſumma juvamenta ejus ſunt plurima & utilitates hujuſmodi ſucci ſunt exuberantes. Et iſte quidem ſuccus non habet nocumentum de quo dubitetur neque laedit aliquod membrorum. Verum non eſt conveniens eis qui habent nervos debiles & habentibus complexionem frigidam. Et plurimum illius nocumenti accidit quando talis ſuccus aſſumitur ſimplex non permixtus cum eo quod rectificat ipſum. Et propter illud ſuccus Limonum praedictus eſt magis conveniens patientibus duo nocumenta quam acetum propter debilitatem illam quae ex eo ſequitur vel cauſatur in ſtomachis ipſorum, & in inteſtinis eorum, vel ſecundum aliam littſamar in membris ipſorum & propter paucitatem tolerantiae nocumenti aceti. Immo eſſe ipſius in juvamento eſt ſicut eſſe aceti & in juvamento amborum ſcilicet ſtomachi & inteſtinorum ſuccus ipſe nobilitatem habet & virtutem quae in aceto non reperitur. Et propter hoc illi qui eligunt potum hujuſmodi ſucci & multum utuntur eo excuſantur per ipſum a ſyrupo acetoſo in plurimis diſpoſitionibus & hoc quando adminiſtrant ipſum ſecundum ſemitam medicinae.

dicinae. Secundum autem semitam cibi ipse quidem non habet in cibatione utilitatem de qua sit curandum immo non existimatur, quod declinet ad cibos neque numeratur inter eos.

Ex editione Veneta.

DIcamus ergo quod natura hujusmodi succi est frigida sicca in gradu secundo, & est subtilis substantiae vehementis abstersionis: fortiter incidens humores grossos, viscosos, subtilians eos. Frigiditatem vero, & siccitatem hujusmodi succi significat fortis acetositas ejus: subtilitatem autem substantiae suae significat velocitas conversionis ejus, ad id, quod cum eo permiscetur, sicut zucarum, aut sal. Vehementem autem abstersionem ejus significant operationes ejus manifestae in extrinseco corporis humani, & in aliis corporibus sicut ablutio, quam facit in exteriori parte corporis, & mundificatio ejus, quando cum eo fit fricatio: & mundificatio, quam facit in aere, & in vasis aeneis: & eorum abstersio ab omnibus sorditiebus, quae eis adveniunt & eradicatio macularum, vel rerum sordidarum, quas a pannis eradicant: & juvamentum ejus ad morfeam, nigram & panno,

&

& impetigini, quando cum tali ſucco fit fricatio, aut linitio ſuper ea: Virtutem autem inciſivam ipſius ſignificat illud, quod apparet ex operatione ejus in phlegmatibus viſcoſis groſſis adhaerentibus palato, & gutturi incidendo ipſa, & eradicando ea, & facili expulſione ipſorum per ſputum. Et cum iſtis proprietatibus ſuccus praedictus eſt infrigidans inflammationem ſtomachi, extinguens acuitatem ſanguinis, & ſedans ejus furioſitatem & ebullitionem ipſius, ſubtilians, quod ex eo eſt groſſum: conferens febribus concluſis cauſatis ex calefactione ſanguinis, & factis ex putredine ipſius, conferens etiam bothor, & apoſtematibus generatis ex eo ſicut ſere, & ſafati ſurunculis, & apoſtematibus gutturis, & uvulae, & amygdalarum, & ſquinantiae prohibens illud, quod de materiis defertur, ſeu fluit ad ea praecipue, quando cum eo fit gargariſma, conferens etiam acuitati colerae cittinae, frangens malitiam ipſius, & furiam ejus, abſtergens quod de ea aggregatur in hepate, & ſtomacho, & in partibus ei vicinantibus: & propter illud efficitur juvans anguſtiae ſyncopi, & triſtitiae cauſatae ab ea: Et eſt abſcindens vomitum colericum removens nauſeam, & ſubverſionem animae, excitans appetitum cibi, & commovens ipſum,

ſedans ſodam, & vertiginem, & ſcotomiam generatam ex vaporibus ejus conferens caſacham cauſato ex vaporibus colerae nigrae conveniens febribus tertianis puris, aut non puris. Et ad ſummum conveniens eſt patientibus febres antiquas omnes: propterea quod extinguit caliditatem ipſarum, & incidit, & ſubtiliat illud, quod ex eis eſt groſſum, & abluit, & abſtergit illud, quod eſt in meatibus, & viis adhaerens coarctatum, vel inobediens, & generans, vel cauſans opilationem facientem putredinem. Abſtergens, quod aggregatur in ſtomacho, & hepate de humoribus groſſis viſcoſis, incidens, ſubtilians groſſitiem eorum: Adjuvans ad aſcenſum ejus quod oportet aſcendere, & expelli per ſuperius per vomitum, & adjuvans ad deſcenſum ejus, quod oportet deſcendere, & expelli per inferius per ſeceſſum: Abſcindens vomitum flegmaticum cauſatum ab humore retento in eo, prohibens ebrietatem, quando ſumitur poſt vinum vicibus pluribus. Removens corruptionem, vel nocumentum cibi multi viſcoſi, & unctuoſi mollificantis os ſtomachi occurrentis ei, lavando ipſum a ſuperfluitatibus ſuis, & unctuoſitatibus ejus, & cum hoc removet mollificationem ejus acquiſitam ab eis. Et cum hoc juvamento eſt bezahar reſiſtens a tota

ſub-

ſubſtantia venenorum , quae bibuntur , aut ab extra applicantur , ſicut venenum viperarum, ſerpentum , ſcorpionum, & proprie ſcorpionum, qui nominantur algierarat , & venenis plurimis ex medicinis interficientibus , quando aſſumitur ante adventum ipſorum venenorum, aut aſſumitur poſt evacuationem ejus , quod eſt in ſtomacho, & quod eſt cum eis medicinis mixum, cum vomitu ultimo, ſeu efficaci, poſt aſſumptionem lactis, & butyri , & ſimilium, & in ſumma juvamenta ejus ſunt plurima , & utilitates hujuſmodi ſucci ſunt exuberantes, Et non habet nocumentum ſuccus praedictus , de quo dubitetur, neque laedit aliquod membrorum : Verum non eſt conveniens eis, qui habent nervos debiles , & habentibus complexionem frigidam , & plurimum illius nocumenti accidit, quando talis ſuccus aſſumitur ſimplex, non permixtus cum eo, quod rectificat ipſum, Et propter illud ſuccus Limonum praedictus eſt magis conveniens patientibus duo nocumenta , quam acetum propter debilitatem illam, quae ex eo ſequitur , vel cauſatur in ſtomachis ipſorum, & in inteſtinis eorum & propter paucitatem tolerantiae nocumenti aceti. Immo eſſe ipſius in juvamento eſt , ſicut eſſe aceti : Et in juvamento amborum, ſcilicet ſto-

machi, & inteſtinorum ſuccus ipſe nobilitatem habet, & virtutem, quae in aceto non reperitur, & propter hoc, illi, qui eligunt potum hujuſmodi ſucci, & multum utuntur eo, excuſantur per ipſum a ſyrupo acetoſo in plurimis diſpoſitionibus, & hoc quando adminiſtrant ipſum ſecundum ſemitam medicinae. Secundum autem ſemitam cibi ipſe quidem non habet in cibatione utilitatem, de qua ſit curandum, immo non exiſtimatur, quod declinet ad cibos, neque numeratur inter eos.

Ex editione Pariſienſi.

Dicamus ergo, quod natura hujuſmodi ſucci eſt frigida, & ſicca in gradu ſecundo, & eſt ſubtilis ſubſtantiae, vehementis abſterſionis, fortiter incidens humores groſſos, viſcoſos, ſubtilians eos: frigiditatem vero, & ſiccitatem hujuſmodi ſucci ſignificat fortis acetoſitas ejus, ſubtilitatem autem ſubſtantiae ſuae ſignificat velocitas conſumptionis ejus ad id, quod cum eo permiſcetur, ſicut ſaccarum, aut ſal: vehementem autem abſterſionem ejus ſignificant operationes ejus manifeſtae in extrinſeco corporis humani, & in aliis corporibus: ſicut ablutio, quam facit in exte-

exteriori parte corporis, & mundificatio ejus, quando cum eo fit fricatio, & mundificatio, quam facit in aere; & in vasis, aeneis, & eorum absterſio ab omnibus ſorditiebus, quae eis adveniunt, & eradicatio macularum, vel rerum ſordidarum, quas a pannis eradicant, & juvamentum ejus ad Morphaeam nigram, & panno, & impetigini quando cum tali ſucco fit fricatio, aut lenitio ſuper ea: virtutem autem inciſivam ipſius ſignificat illud, quod apparet ex operatione ejus in phlegmatibus viſcoſis, groſſis adhaerentibus palato, & gutturi, incidendo ipſa, & eradicando ea facili expulſione per ſputum, & cum iſtis proprietatibus, & viribus ſuccus praedictus eſt infrigidans inflammationem ſtomachi, & extinguens acuitatem ſanguinis, & ſedans ejus furioſitatem, & ebulitionem ipſius, ſubtilians quod ex eo eſt groſſum, conferens febribus concluſis cauſatis ex calefactione ſanguinis, & factis ex putredine ipſius, conferens etiam bothor, & apoſtematibus generatis ex eo, ſicut ſare, & ſaphati, & furunculis, & Apoſtematibus gutturis, & uvulae, & amigdalarum, & ſquinantiae, prohibens illud quod de materiis defertur, ſeu fluit ad ea praecipue quando cum eo fit gargariſma. Conferens eſt etiam acuitati cholerae citrinae, frangens mali-

tiam ipsius, & ejus furorem, & abstergens quod de ea aggregatur in hepate, stomacho, & in partibus ei vicinantibus, & propter illud efficitur juvans angustiae & syncopi, & tristitiae, causatae ab ea, & est abscindens vomitum cholericum, removens nauseam, & subversionem animae, excitans appetitum cibi, & —— ipsum, & sedans sodam, & vertiginem, & scotomiam generatam ex vaporibus ejus, conferens caphacan. idest tremori stomachi causato ex vaporibus cholerae nigrae, conveniens febribus tertianis puris, aut non puris, & ad summum conveniens est patientibus febres antiquas omnes, propterea quod extinguit caliditatem ipsarum, & incidit, & subtiliat illud, quod ex eis est grossum, & abluit, & abstergit illud, quod est in meatibus, & viis adhaerens coarctatum, generans, vel caussans oppilationem facientem putredinem, & est abstergens ejus, quod aggregatur in stomacho, & hepate de humoribus grossis viscosis: incidens, & subtilians grossitiem eorum, adjuvans ad ascensum ejus quod oportet ascendere, & expelli per superius, & vomitum, & adjuvans ad descensum ejus quod oportet descendere, & expelli per inferius per secessum, abscindens vomitum phlegmaticum causatum ab humore retento in stomacho: prohibens

hibens ebrietatem quando ſumitur poſt vinum vicibus pluribus, removens corruptionem, vel vomitum cibi multi viſcoſi, & unctuoſi molificantis os ſtomachi occurrentis ei, lavando ipſum a ſuperfluitatibus ſuis, & unctuoſitatibus ejus, & cum hoc removet mollificationem ejus acquiſitam ab eis, & cum hoc juvamento eſt bezahar reſiſtens a tota ſubſtantia venenis, quae bibuntur aut ad extra applicantur, ſicut venenum viperarum, ſcorpionum, & proprie ſcorpionum, qui vocantur Algerarat. ideſt parvorum ſcorpionum poſt ſe trahentium caudam. ideſt raſtellatorum, habentium corpus gibboſum, caudam acutam, quorum venenum eſt calidum, & venenis plurimis, & medicinis interficientibus, quando aſſumitur ante adventum ipſorum venenorum item ſi aſſumatur poſt aſſumptionem venenorum ſcilicet poſt evacuationem ejus quod eſt in ſtomacho factam per vomitum a lacte, vel butiro excitatum, abſtergit enim ſtomachum, & venenum erradicat per vomitum ultimum. Et in ſumma juvamenta ejus ſunt plurima & utilitates hujuſmodi ſucci ſunt exuberantes: & iſte quidem ſuccus non habet nocumentum, de quo dubitetur, neque laedit aliquod membrorum. Verum non eſt conveniens eis, qui habent nervos debiles, & haben-

tibus complexionem frigidam, & plurimum illius nocumenti accidit, quando talis ſuccus aſſumitur ſimplex non permixtus cum eo, quod rectificet ipſum, & propter illud ſuccus Limonum praedictus magis eſt conveniens patientibus duo nocumenta, quam acetum, propter debilitatem illam, quae ex eo ſcilicet aceto ſequitur vel cauſatur in ſtomachis ipſorum, & inteſtinis eorum, vel ſecundum aliam literam, & in membris ipſorum, & propter paucitatem tolerantiae nocumenti aceti, imo eſſe ipſius in juvamento eſt ſicut eſſe aceti in juvamento amborum, ſcilicet ſtomachi, & inteſtinorum ſuccus ipſe nobiliorem habet virtutem, quae in aceto non reperitur, & propter hoc illi, qui eligunt potum hujuſmodi ſucci, & multum utuntur eo, excuſantur per ipſum a ſucco acetoſo in pluribus diſpoſitionibus, & hoc quando adminiſtratur ipſum ſecundum ſemitam medicinae, ſecundum autem ſemitam cibi ipſe quidem non habet in cibatione utilitatem, de qua ſit curandum, imo non extimatur, quod declinet ad cibos, neque nominetur inter eos.

CAPUT

CAPUT III.

De natura & propietatibus Succi Malorum Limoniorum, cum suis corticibus expressorum.



PLurimis attentis proprietatibus illis, ob quas in plerisque morbis Malorum Limoniorum succum utilem maxime esse *Ebembitar* hic summatim docet; ut eas modo adamussim explicem, imo pro dignitate prosequar: rem totam in articulos data opera dividam, in quibus singulis Auctoris ipsius mentem accuratius interpretabor: dum ea nempe, quae ibidem stricte proferuntur, alioquin scitu maxime digna, qua potero diligentia enucleare contendam.

Horum itaque Articulorum series ita se habebit, ut probem

Art. I. Quod Malorum Limoniorum succus incidens, & abstergens suapte natura vere sit.

Art. II. Quod Malorum Limoniorum succus, uti abstergens, ab extra Corpora detergat, ideoque in plurimis Cutis morbis utilis sit.

Art. III. Quod Malorum Limoniorum succus, uti incidens, tenaces, & viscidos humores adeo solvat, ut genitos ab iis morbos evincat.

Art. IV. Quod Malorum Limoniorum succus, uti attemperans nimium humorum aestum, valeat in febribus inde ortis, in Inflammationibus, & Apostematibus peculiaribus.

Art. V. Quod Malorum Limoniorum succus potissimum attem-

peret Bilis aestus, seu mavis furorem, ideoque sedet morbos, & accidentia, quae ab illa fiunt.

Art. VI. Quod Malorum Limoniorum succus, simulac humores attemperat, insuper incidat, & abstergat, juxta indigentiam.

Art. VII. Quod Malorum Limoniorum succus, tanquam Bezahar contra venena, sive tanquam Alexipharmacum remedium, haberi merito debeat.

Art. VIII. Quod Malorum Limoniorum succus non noceat alicui membro, sed nervis tantum, & iis demum Hominibus, qui frigida temperie pollent.

Art. IX. Quod Malorum Limoniorum succus, magis quam Acetum, conveniat, & utilis sit, congrua facta utriusque comparatione.

Art. X. Quod Malorum Limoniorum succus, pro nutriendo corpore nihil valeat.



CAPUT

CAPUT III.

ARTICULUS I.

Quod Malorum Limoniorum ſuccus incidens, & abſtergens ſuapte natura vere ſit.



X eo vel maxime evincitur, quod mira vis incidens in ſucco Limoniorum malorum vigeat; quia ſuccus iſte ab aliis acidis ſummopere differt, in quibus vis adſtringens praecipue dominatur. Merito enim, *Galeno* teſte, in propoſitum noſtrum animadvertit *Hieronymus Nigriſolius* (22) quod ex acidis hujuſcemodi ſuccis alii ſunt, qui craſſis & terreſtribus ſcatent particulis, qui ſcilicet ideo adſtringunt, quippe quod auſteri ſunt: alii, qui tenuiſſimis atque penetrantibus ſcatent moleculis; qualis eſt malorum Limoniorum ſuccus; qui propterea tantum abeſt, ut vere adſtringat, quod potius attenuet, & incidat maxime. Nam hoc (uti praecitatus Auctor innuit) ratio quoque ſuadet. *Cum enim acida & ſucci Citri, & Limonum in ſpecie, tenuium ſint partium, ea, quae craſſa ſunt, & viſcida melius penetrare poſſe, & per illa ſe ſe inſinuando divellere, atque ideo incidere, etiamſi frigida ſint, nemo non fatebitur*. Atque id ipſum confirmat teſtimonio *Sennerti*, *Iſaaci Judaei*, & *Heurnii*. Quod quidem ut eo magis demonſtretur, ſequens experimentum proponit, quod ad rem noſtram

(22) Hieron. Nigriſol. Progymn. 2. de Succ. Citr. & Limon.

ſtram facit. *Si ponatur ſuccus agreſtae in uno vitro, & in alio ſuccus Limonum, vel Citri, & in utroque ponatur ovum, cera, vel lapillus; ſuccus Limonum, vel Citri emolliet ovum, ceram, & lapillum, ſuccus autem agreſtae nequaquam: & ratio eſt, quia ſuccus Citri & Limonum tenuiſſimae ſubſtantiae eſt, adſtrictionis expers, ideoque penetrat & incidit; Agreſta vero propter partes terreſtres & craſſas, quibus componitur, non poteſt id facere. Quibus rationibus in Renum frangendo calculo, meatus abſtergendo, maculas auferendo, ac detergendo non ultimas tenere partes, omnibus eſt in confeſſo.* Propter ſpecialem incidentem hanc & attenuantem facultatem, ultro monet Auctor iſte, quod malorum Limoniorum ſuccus, utcunque aſſumptus, atque etiam ferculis & juſculis immixtus, Uteri quandoque morbis proſpiciat; unde & Puerperis tuto concedi queat, etiamſi lochia fluant. *Tantum enim abeſt, quod poſſit lochiorum fluxum adſtringendo compeſcere, ut male opinatur Vulgus, quin potius ſua vi inciſiva, attenuante, & aperitiva, eorum faciliorem reddere expurgationem, ac uberiorem aptus exiſtat:* quod quidem adnotatu maxime dignum eſt in quamplurimis circumſtantiis, de quibus infra nobis agendum erit. Atque ut eo magis magiſque hujuſce ſucci incidentem & colliquantem facultatem patefaciat *Montanus* (23) eum cum Aceto ita comparat: *Succus autem Limonum tantae aciditatis eſt, & in tenuiſſima ſubſtantia fundatur, ut acetum etiam incidendo & colliquando ſuperet: & clarum eſt hoc experientia, cujus facultates neque a Galeno, neque ab Antiquis deprehenſas eſſe video, neque enim omnia experiri potuerunt:* atque comparatio haec Aceti cum Limoniorum ſucco fuſius poſtea proponenda erit. Itaque cum hujuſce ſucci vires haud ſatis cordatioribus Antiquis Medicis innotuiſſent, minime mirum videbitur, quod ex illis plerique adſtringentem, & incraſſantem potius

(23) Montanus de Simpl. Medicam. qualit. Comment.

potius, quam incidentem & abstergentem ei vim adscribere non dubitaverint. Exinde factum fortassis est, quod in morbis Pectoris (tunc cum tutior, & utilior crisis per anacatharsim promoveri a Natura solet) non modo ex Antiquis, verum etiam ex Recentioribus Medici tantum abest quod succum Limoniorum unquam omnino laudent, ut ad eum confugere piaculum fere ducant; pro certo scilicet habentes, quod hoc praesidio tenaciora fiant sputa, firmiusque bronchialibus ea adhaereant tubulis, atque insuper contractilis vis eorum musculorum torpescat, qui ad excreatum conferunt; quod idem est ac dicere, quod succus Limoniorum, uti adstringens, sputorum excreatum impediat. Quicunque autem indiscriminatim sententiae huic adhaerere velit, errare multoties poterit, atque tunc maxime, cum in Pectoris morbis eae vigent circumstantiae, propter quas succi Limoniorum usus omni jure convenit & necessarius vere est. Atque hoc potissimum contingit in Pleuritide illa, quae speciatim Biliosae nomen habet; in qua nempe, quia furens abundat Bilis, eaque summum in sanguine, ac etiam in Pectore, aestum & tumultum parit, initio emeticum aliquando utiliter usurpamus, eo videlicet animo, ut proveniens ab Hepatis ductibus hostilis biliosus ille humor, quo citius fieri potest, educatur, ne ad Pectus transiens, eo magis Pulmones aggravet. Tunc autem cum ita penitus eliminari bilis nequeat, ejus impetum saltem compescimus ope Limoniorum succi, cum aqua diluti, addito etiam saccharo, uti Aegroto placeat, aut morbi ipsius ratio poscat. Insuper in Pleuritide illa, aut alio Pectoris morbo, qui a tenaciore copiosa lympha unquam fiat, aeque utilis, ob allatas rationes, evadet Limoniorum succus, qui eam incidet, dissolvet, atque ad urinarias vias abunde deducet, ut inde dissipetur. Non ideo uti adstringens indiscriminatim in morbis

Pectoris

Pectoris omnibus damnandus est succus Limoniorum: sed tunc solum cum fibrarum laxa maxime textura utcunque est, seu potius vis vitae languet, neque nimius in sanguine dominatur aestus: atque hoc eo clarius evinci ex iis poterit, quae Articulo VIII. dicentur.

Alioquin vero incidens & attenuans succi Limoniorum vis ultra a *Mangeto* (24) confirmatur, dum admonet, quod *succi Limoniorum sunt admodum efficaces in dissolvendis calculis, & detergendis partibus*. Quod insuper a *Gesnero* eruimus (25) ubi testatur, quod si *dissolvantur aceto forti, praesertim distillato, vel succo Limonum, Margaritae, Testae ovorum, Lapides Renum, Vesicae, Corallium utrumque, ea post siccata prompte friantur*. (26) *Non mirum igitur est, si Medici ad frangendos calculos summopere extollant succum Limonum*. Quam ideo, ad dissolvendos calculos, in hoc succo vigere vim, si quis unquam omnino concedere nolit, is tamen non negabit, quod arenulas, mucososque Renum & Vesicae humores dissolvendo, possit impedire ne calculi adeo facile concrescant, neque tam cito augeantur: quippe quia alibi ostendemus, quod diureticum efficax remedium hoc est, quod & aliis, uti tutius, palmam praeripit.

Quae porro omnia cum satis esse videantur, ad incidentem & abstergentem succi hujusce miram vim comprobandam: tot alia modo omittimus, cum & ea, quae dicentur postea, id ipsum confirmare valeant. Attamen quia *Nigrisolio* concedimus (27) quod, *quae afferuntur de Citri viribus*, eadem Limonibus appellatis erunt tribuenda: plurimi fieri ad hoc debet succi Citri Chymica Analysis, a *Geof-*

(24) Manget. Bibliothec. Pharmac. Med. lib. 12. Tom. 2.
(25) Evonym. Conrad. Gesner. de Remed. Secr. lib. 1.
(26) Montanus loco supra citato.
(27) Hieronym. Nigrisol. Progymn. ut supra.

a *Geoffroy* (28) tentata, quae vere ad rem nostram facit; atque hujusmodi est. *Ex succi Citri recenter expressi libris quinque prodierunt humoris limpidi, saporis & odoris fere expertis, obscure subsalsi & obscure acidi, libra una, unciae quinque, drachmae tres, & grana sex. Humoris limpidi, saporis & odoris expertis, neque manifeste neque obscure acidi, austeri, subsalsi librae duae, drachmae tres, grana triginta. Humoris rufi, leviter empyreumatici, intense acidi, austeri, cum acredine quadam, obscure subsalsi & alcali, drachmae sex & grana undecim. Olei spissi drachmae duae. Massa nigra in retorta residua pendebat uncias duas, & drachmas septem, cum granis decem & octo: quae calcinata reliquit Cinerum uncias quatuor, & grana sexaginta cum uno; ex quibus salis fixi, mere alcali, drachmae duae cum granis viginti quatuor lixivio sunt extractae. Partium jactura in distillatione fuit dracmarum sex cum granis quadraginta duobus: In calcinatione, duarum unciarum, duarum drachmarum, & granorum viginti novem.* Ad quae omnia si quispiam, congrua servata analogia, rite mentem intendat, haudquaquam verebitur asserere, quod Limoniorum malorum succus & *incidens, & abstergens suapte natura* sit. Utrumque praeterea ex sequentibus Articulis eo magis patebit, simulac & plures alias ipsius proprietates enucleaverimus, jure meritoque cum *Poterio* (29) concludendum nobis erit, quod iste *succus, ob praestantiam, & saporis dignitatem, omnes alios facile superat*.

Sed antequam ad alia transeamus; ut eo magis magisque comprobetur admirabilis vis incidens, qua Limoniorum succus prae aliis praestat: ob quam nempe non modo Renum & Vesicae calculos (ut paullo antea diximus) dissolvere ipse valet, verum etiam marmorea solidissima corpora : summopere

---

(28) Geofroy Tom. 2. Mater. Med. Part. 2. Sec. 2.
(29) Petr. Poterius in Pharmac. Spargyr. lib. 3. Sec. 2.

mopere interesse puto, quod accuratissimi *Theophili Lobb* experimenta, Anglico idiomate primum evulgata, subinde Gallice traducta, summatim hic referam; (*) quae maxime ad rem nostram faciunt. Primo enim in epistola ad D. *Hans-Sloane* R. Societatis Londinensis Praesidem, & postea in alia ad D. *Mortimer* ejusdem Societatis Secretarium conscripta, Auctor iste ostendit, quod Alabastrites albus & ruber, & alia marmorea dura corpora Limoniorum succo solvuntur optime, tunc cum aëreae inde bullae speciali modo erumpunt. Inito autem experimento in humano lapide, idipsum, ejusdem succi ope, contigisse animadvertit: sive nempe simplici eo succo, sive addito eidem melle, sive & Anglica potione, *Punch* nuncupata, usus ad hoc ipse fuerit. *Punch* vero ea potio est, quae (ut ex adnexis ibidem notis patet) in Anglia parari solet, tunc cum duabus partibus Aquae communis, alteram addunt spiritus Vini, cum sufficienti quantitate sacchari, ad ejus attemperandam vim, cui demum eam succi Limoniorum dosim adjiciunt, quae satis esse videatur, ad gratam ipsi conciliandam aciditatem. Neque vero ad propositum nostrum conferre quidquam existimaverim; quod eas singillatim hic adferam animadversiones, quibus *Lobb* evincit, quod lapides isti, aut e terra eruti, aut ab humano prodeuntes corpore, non aeque cito, nec eodem modo solvantur omnes, sed diversimode quidem, pro varia eorumdem compage: tam si simplex adhibitus sit Limoniorum succus, quam si additum sit mel, vel etiam praedicta potio *Punch* fuerit usurpata. Satis enim est ex iteratis experimentis hisce deducere, quod, uti Limoniorum simplex succus lapides dissolvit, ita incidens & aperiens ipse dici jure meritoque debeat.

CAPUT

(*) Traitè des moyens de dessoudre la Pierre &c.

CAPUT III.

ARTICULUS II.

Quod Malorum Limoniorum ſuccus, uti abſtergens, ab extra Corpora detergat, ideoque in plurimis Cutis morbis utilis ſit.



Atis, ut opinor, oſtendimus in antecedente Articulo, quod Malorum Limoniorum ſuccus ideo incidens vere ſit, quia tenuiſſimis ipſe ſcatet particulis, quae poros corporum intime ſubeunt, atque pervadunt. Eae itaque ipſae moleculae penetrantes, atque ſcindentes, ſi in Corporum interſtitia ſe ſe unquam inſinuent, & facile, & cito in eorumdem extimas ſuperficies primo vim ſuam exerunt. Atque proinde fit, quod ſi forte foedata ab extra illa Corpora ſint, eo quia tenax aliquis, aut ſordidus humor ibidem concreverit, atque firmiter conſtiterit: illuc pervadendo ſuccus iſte penetrans, atque ſcindens, foedantem humorem illum inde removebit penitus, uſque dum abſtergatur pars, ſeu ſordes tollantur. Hoc quippe norunt Mulierculae ipſae, quibus mos eſt, dum atramentum ab induſiis, aliiſque veſtibus auferre ſatagunt, quod eas Limoniorum ſucco abluant; quo nihil aptius reperitur ad ejuſcemodi delendas maculas. Etenim haud quidquam tunc refert, quod atramentum liquor viſcidus ſit, & tenax, ob adjunctum ipſi arabicum Gummi, propter quod firmiter corporibus adhaeret.

Nam tenuissimae Limoniorum succi guttulae, exsiccati licet, atramenti poros intime subeunt, atque nexus partium solvunt adeo, quod nigricantes particulas loco moveant, easque denique illinc detergendo, maculas eas tandem omnino deleant. Quamobrem nemo fidem denegabit Domino *Tavernier* (30), qui *in peregrinationibus suis per Regnum Tunquin* testatur, quod ibi Citria quaedam mala succrescant, tam acido succo praedita, quod neque mandi ea queant, absque molesta Oris & Ventriculi laesione, quippe quia ea Limoniorum Malorum naturam abunde obtineant. Ejuscemodi vero ab illis fructibus elicitus succus (uti apud nos Aqua fortis) ab Incolis illis *usurpatur ad mundanda metalla, cuprum, stannum, ferrum, anteaquam deaurentur, uti & ad tincturas, praecipue Serici.* Ibidem quoque adhibetur acidissimus succus ille *pro lixiviis, ad candorem linteaminibus conciliandum, eaque emaculanda. Quin & per totum Magni Mogoris Imperium eo utuntur ad pannos lineos, caliculicos dictos, candefaciendos, unde interdum adeo nivei, & lucidi evadunt, ut splendore nimio intuentium oculos perstringant, & offendant.* Quapropter Arabico Auctori nostro fas erit concedere, quod Limoniorum succus ita potens sit, ut a vasis aeneis sordes abstergat, & maculas a pannis omnino tollat. Atque id notum etiam est Tinctoribus, qui eo passim utuntur succo, (31) *ad colores multos transmutandos, aut fixiores efficiendos:* ex quo fit etiam, ut parva ejus succi guttula, super vestes forte cadens, plerosque colores in flavum protinus immutet. Namque ob eamdem rationem, ob quam ita valet succus iste, (32) quod *elegantem purpureum colorem conservae rosarum, aut etiam violarum, aliorumque multo-*

(30) Manget. Bibliothec. Pharmac. Med. lib. 12. Tom. 2.
(31) Geoffroy Tom. 2. Mat. Med. Part. 2. Sec. 2.
(32) Manget. Biblioth. Pharmac. Med. lib. 12. Tom. 2.

multorum conciliet; ita & apud Tinctores magno in pretio habetur, *ad colores multos trasmutandos*, aut figendos. Atque hinc factum esse reor, quod ex malis Limoniis paretur distillata aqua, quae (33) valet maxime ad expoliendam faciem, pro fuco: quae & vitiligines & totius Corporis tollit maculas, & varos delet: ad quod insuper conferre maxime & ipsum horum fructuum succum, addito saccharo, vulgares quoque mulierculae norunt. Parem distillatam ex Limoniis aquam *Pisanellus* (34) indicat, quae tanti fieri a foeminis consuescit, quanti ab ipsis habetur faciei venustas, ut Viris placeant, cum ejus ope maculae quaevis illico deleantur. Neque solum hoc adminiculo evanescunt e Cute maculae; verum etiam variae, quae ibi assurgunt eminentiae parvae, vel a pravo quolibet erodente humore, vel ob quamcunque morbosam causam exortae: propter quod fit, ut, *Ebembitar* testimonio, *Morpheae*, *Panno*, nec non *Impetigini* succus iste prospiciat, si cum eo fiat *fricatio*, *aut linitio*. Et porro uti apud saniores Practicos Medicos in plerisque Cutis morbis (ubi maxime fas sit attemperare, atque detergere) acida fere omnia remedia commendantur: ita & potiore jure succus Limoniorum utilis existimatur. Ad detergendam faciem a Varis foedatam *Joseph Lanzonus* (35) praesertim eo utitur, una cum aqua destillata Lapathi acuti, pro ablutione. Dicit insuper, quod ad hoc adhibent aliqui Mercurium crudum, eodem succo subactum, addita viperarum pinguedine, ut fiat linimentum. Ast ego Mercurii usum in hisce circumstantiis, ob quamplurimas rationes, haud ita facile probarem; eoque minus, si nulla tunc adsit celticae luis suspicio.



D 2

(33) Andr. Matthiol. Com. in lib. 1. Dioscorid.
(34) Pisanelli Trattato della natura de' Cibi.
(35) Joseph Lanzonus Consult. 152.

cio. Cumque alibi *Lanzonus* (36) in impetigine, prae caeteris, laudet sulphur cum aceto, ut affecta fricetur Cutis: quod ea illiniatur cum saliva humana, & oleo Tartari: proponit denique Limoniorum succum, vel acetum cum saccharo Saturni. Quae quidem curandi methodus conformis ubique est Antiquorum Medicorum judicio. Nam *Rasis* de hisce morbis agens (37) ita sentit. *De his autem, quae impetiginem auferunt, est fricatio, quae fit cum Citri acetositate, & ammoniaco, & aceto: vel cum Masbacumina mixta cum aceto, & epithemata, aut cum mugad, & aceto.* Etiam *Silvaticus* (38) ex *Aben Mesvay* deducit, quod *Citri acetositas, quando linitio fit ex ea, convenit impetigini, & aufert eam*: uti quoque ex *Avicenna*, quod haec *acetositas abstergit choleram rubram, & aufert pannum . . . & valet impetigini illinita*. Neque mirum erit, quod, cum nos hic de Limoniorum succo speciatim agamus, acetositatis Citri usum cum hisce Auctoribus consideremus. Etenim, ut toties diximus, Limonia tam viribus, quam suapte natura a Citriis non multum differunt. Imo addam, quod si Citriorum succus, utpote acidus, ad hoc commendatur; utilior eo longe censendus sit Limoniorum succus, qui illo revera acidior est. Cum autem hic obiter & de Morphea, & de aliis hujuscemodi pustulis, quae in facie, vel in Cute quomodocunque fiunt, inciderit sermo; Tyrones praecipue Medicos, ut animadvertant, obsecro, quod utplurimum adhibita extrinsecus remedia parum juvant, etsi optima illa sint, quin una & interna congrua praescribantur. Siquidem raro fit, quod externa illa succrescant in Cute mala, quae a salsa (ut ajunt) aut quomodolibet acri, sive etiam biliosa humorum temperie, male

(36) Joseph Lanzonus Consult. 144.
(37) Rasis Tract. 5. cap. 31.
(38) Matthaeus Silvatic. in Pandect. cap. 345.

male una se habente Hepate, primo non habeant originem. Plerique ideo, qui diu meraciore utuntur vino, propter quod & acris maxime, atque aestuans in iis bilis emergit, sive (ut paucis dicam) calidam Hepatis intemperiem inde contrahunt, ii facile morphea rubra foedantur. In quibus circumstantiis, praeter abstergentia remedia quaelibet, atque Limoniorum malorum succum, extrinsecus usurpatum, interna praesertim demulcentia, & attemperantia fas erit adhibere, eumdemque insuper Limoniorum succum in aqua ebibere; qui ne dum detergit, verum etiam, si quis alter, humorum aestum attemperat: uti postea clarius ostendam.

Prae aliis autem, quae in cute eveniunt, pustulis, quae detergentium hujuscemodi remediorum ope sanantur, aut saltem mitescunt, eas etiam per transennam considerare fas est, quae ad scabiem attinent, in cujus potissimum curatione praelaudati Limoniorum succi abstergens vis plurimi habetur. Sive enim scabiosae pustulae jam satis eruperint, & suppuratae sint, ut apto tempore detergantur melius, exsiccentur, atque secedente crusta citius evanescant: sive illae paucae sint, ut contiguas inficiendo partes, non affluentius prodeant: in utroque casu Limoniorum succi externus usus proderit, dummodo id apto tempore, congruaque ratione fiat. Nam, quod ad primum morbi statum attinet, anteaquam consuetis linimentis scabiosae pustulae curentur, Limoniorum succo cutis erit abluenda, ut sordes inde detergantur, quae poros ibidem obstruunt: atque id ipsum iterum erit praestandum, statim ac pustulae illae, unguenti praedicti ope, magna ex parte complanatae sint, ita quod exsiccari incipiant. Imo & ob easdem rationes, uti linimento illi Acetum aliqui adjicere solent, ego Limoniorum succum immiscere utplurimum malo. In hunc propterea finem Radices Lapathi acuti

recentis ebulliri, pro ut opus sit, in Axungia, vel in Butyro jubeo, donec humiditas consumpta sit, saepe tamen cum lignea spatula agitando: factaque colatura cum forti expressione, addo congruam dosim sulphuris, & salis communis, in tenuissimum pulverem redacti: totique huic massae, rite jam praeparatae, tertiam circiter partem adjicio succi hujusce, ut iterum lento igne ebulliat, atque postea serviat pro linimento. Non negaverim tamen, quod in Pauperibus, quorum crumenae, quo magis fieri potest, parcendum est, ad hoc aeque praescribi possit acetum, dummodo ejus augeatur dosis, ut melius sortiatur effectum. In secundo autem casu valet adeo congrua Cutis ablutio, cum succo Limoniorum opportune facta, ut illi, qui scabie laborant, apposite caventes, ne manus praecipue nimis inde foedentur, ii utile admodum experiuntur, quod mane quotidie, atque etiam interdiu Limoniorum succo cum modico salis, eae partes detergantur, & abluantur. Atque praesidium hoc, in utroque Scabiei statu, arridere iis quoque poterit, qui existimant, quod Scabies a specialibus vermiculis, in cute firmatis, ortum habeat; maxime si cum Antiquis admittant, quod succus iste *Acoros* interimit, & *Ventris tineas:* uti praecipue monet *Matthiolus*. Ex quibus facile erit inferre, quare nam idem Auctor putat, (39) quod Poma Adami *peculiariter valent ad scabiem, si per medium secta, & tenuissimo sulphuris pulvere aspersa, & deinde cinere ferventi calefacta, Corpori Scabioso confricentur.*

CAPUT

(39) Matthiol. Com. in lib. 1. Dioscorid.

CAPUT III.

ARTICULUS III.

Quod Malorum Limoniorum ſuccus, uti incidens, tenaces & viſcidos Humores adeo ſolvat, ut genitos ab iis morbos evincat.



Ncidentem hujuſce ſucci ſpecialem facultatem in primo Articulo ſatis demonſtravimus: idque eo magis, quia valere ipſum praeſertim oſtendimus ad diſſolvendos calculos, atque ad ciendas urinas: uti & infra probandum uberius erit. Ejus itaque tenuiſſimae, penetranteſque moleculae ſi tanti ad hoc valent, hinc praeterea evincitur facile, quod eae tenaces, viſcidoſque humores attenuare, ac eorundem ſtaſes tollere aptae ſint: uti docet *Ebembitar*. Hujuſcemodi ideo ſuccus in *Meſve* commentis laudatur (40) maxime, velut idoneus in Faucium inflammationibus: quippe quia, facta ipſius comparatione, dum *abolentur maculae*, cum ſucco nucum, hunc illo minus ad id efficacem eſſe deprehendit: unde ita concludit. *Sed huic* (de Limoniorum ſucco loquitur) *licet adſit tenuitas, qua in interiores penetrat receſſus, deeſt tamen terrena vis ſubſtantiae, quae in ſucco nucum affluit, ob quam etiam mali punici totius cum Malicorio, & decoctum, & expreſſus ſuccus, ſucco ejuſdem acinorum ſincero in hunc uſum magis praeſtat.* Quam

(40) Meſve Compend. Medicam. lib. 1. in Coſtaei Comment.

solventem specialem vim in hoc succo, prae aliis, cognovit *VVeckerus* (41), dum eum valere potissimum docet, *ut crassos humores incidat*. Quamobrem exinde patet, cur maxime in morbis Palati, & Gutturis, qui a tenaci phlegmate, in iis partibus remorato, suboriuntur, ipse prosit. Tunc enim illae emergunt Anginae, quas Lymphaticas appellamus, quae videlicet a cohibita plerumque perspiratione, tanquam a praecipua remota causa, dependent: atque maxime quia, posteaquam Aegrotus utcunque incaluerit, subinde frigido Aëri tunc illico subjicitur. Ea siquidem occasione, dum, incalescente Corpore, sollicitatur maxime ad motum Lympha, eaque, ob subsequentem persrigerationem, liberam, ut antea, ad exitum viam, aut per Cutis porulos, aut per alia emunctoria, non amplius obtinet: ipsa postea circa fauces facile consistit, ibidemque concrescens ejusmodi morbum efficit. Tunc itaque, simulac accuratus Medicus, ut cohibitam perspirationem sollicitet, calidas attemperantes, atque diaphoreticas potiones abunde sumendas esse jubet; affectis una superioribus partibus optime prospicit, Limoniorum malorum succum solvendo cum decoctione hordei, & modico sacchari, ut serviat pro gargarismate: eodem pene modo, quo alii, ad eumdem finem, aceto uti solent. Ejuscemodi praesidio, cum manifesto levamine, mihi ipsi toties opem attuli, quoties Lymphatica simplici Angina laboravi: uti plurimis vicibus expertus fui. Acida namque haec affectarum Oris partium ablutio, non modo ibi genitum morbosum calorem attemperat; verum etiam partes illas ita blande vellicat, ut opportune contrahantur, ideoque lymphaticum humorem illum inde removeant, exprimant, atque ad exitum urgeant: maxime quia incidente

(41) Jo. Jacob. VVecker. Medicin. Syntaxis lib. 1. part. 3.

dente ſucci ipſius vi plurimum attenuatur. Hoc autem indicat copioſa & tenax ea lympha, quam, dum eo gargariſmate utuntur, Aegroti per os emittunt. Attamen ſedulo cavendum eſſe moneo, ne acida haec praeſidia tunc uſurpentur, cum imminens ſit ſuppuratio; cui quidem perficiendae cum ea obſtare maxime poſſint, maturantia potius & demulcentia gargariſmata fas eſt adhibere: cujuſmodi ea ſunt, quae ex ſolo lacte, aut ex decoctione hordei, paſſularum, ficuum pinguium, aut ſimilium parantur: non omiſſa ſanguinis emiſſione, ſi opus fuerit; quae juxta morbi ſaevitiem, & Aegrotorum peculiarem conſtitutionem, antea fuerit opportune celebrata. Caeterum extra ſuppurationis ſuſpicionem, in ſimplici lymphatica Angina, propter allatas ſupra rationes, tam utilia profecto evadunt acida illa gargariſmata, quam quae alia. Verum quia aliquando per diaphoreſim lymphaticos humores illos educere Natura nequit, qui alioquin, ob cohibitam antea perſpirationem, in corpore fuerant accumulati: quin imo ad Renes potius moliri criſes ea videtur: tunc nihil utilius erit, ad ciendas urinas, quam malorum Limoniorum ſuccus, abunde cum decoctione Hordei ebibitus, qui ſimul aeſtum ſanguinis mirifice compeſcit, & tollit. Praeterquamquod, ſi quae unquam Viſcerum obſtructiones (uti non raro evenit) eodem tempore adſunt, vel ab eadem glutinoſa lympha, vel a craſſiore, tenacique bile factae: eas pariter ſolvit Limoniorum ſuccus, cum aperientibus decoctionibus copioſe uſurpatus. Ita prodeſt ſuccus iſte ad evincendam icteritiam illam, quae ab eadem tenaci bile, in biliariis poris, & in veſica fellis reſtitante, principium ſortitur. Mira quoque attenuante facultate ſua valet inſuper, ad viſcidos humores illos attenuandos, atque educendos, qui circa Uterum in Puerperis moram agunt, ſuppreſſis lochiis, imo ut lochia ipſa promoveantur,

antur, ſimulac urinae affluentius hinc prodeunt; dummodo tamen a grato Limoniorum odore non abhorreant foeminae illae. Horum omnium teſtem habeo expertiſſimum *Nigriſolium*, (42) qui in propoſitum noſtrum ita concludit. *Abeant itaque Maſſaria, & reliqui, qui ſucci Limonum, & Citri uſum, ob adſtringentem facultatem, in febribus rejiciunt, Puerperis ob eamdem rationem prohibent, ac interdicunt; cum.... jam conſtet, non ſolum eum non adſtringere, ſed aperire, incidere, ac deobſtruere.* Sed de hiſce alibi.



CAPUT

(42) Hieronym. Nigriſol. Progymn. 2.

CAPUT III.

ARTICULUS IV.

Quod Malorum Limoniorum ſuccus, uti attemperans nimium humorum aeſtum, valeat in febribus inde ortis, in inflammationibus, & apoſtematibus peculiaribus.



Nimadvertit *Juncker* (43) quod ſuccus Citri *ſaluber eſt in intenſiore febrili aeſtu, & diſcraſia bilioſa*: quippe quia humorum effervefcentiam, quae tunc maxime fit, compeſcit, atque ſedat. Eodemque modo judicat *Geoffroy* (44) dum ita ait. Citria *in febribus ardentibus, & malignis plurimum conferunt, ad ſitim extinguendam, bilis, aut ſanguinis aeſtum, & efferveſcentiam coercendam, vires proſtratas reſtituendas. His nominibus in potum, fruſtulatim ſecta, conjiciuntur. Succus cum ſaccharo aqua diluitur, & potum praebet refrigerantem, palato gratum, ſanis & Aegris ſaluberrimum.* Si itaque Citriorum ſuccus, uti attemperans, adeo valet ad febrilem compeſcendum aeſtum: quid de Limoniorum ſucco dicendum ad id potiore jure erit? Quamobrem praecitatus *Geoffroy* ibidem poſtea ſubdit, quod, quia Limonia mala, cum Aurantiis, & Citris comparata, guſtu acidiora deprehenduntur eſſe, ideo magis ſunt refrigerantia, atque idcirco

---

(43) Juncker Conſpec. Therap. gener. Tab. 4. n. 92. art. 5.
(44) Geoffroy Tom. 2. Mater Med. Part. 2. Sec. 2.

idcirco *ad aestuantes morbos valentiora habentur*. Revera enim tam acidam qualitatem in Limoniorum succo vigere docet *Nigrisolius* (45), *quod saepe in acetum imbecillum* ipsum *conjiciant, ut illud acrius reddant*. Eaque propter succus iste, tanquam acidissimus, omnium melior habendus est, & tutior ad febriles sedandos aestus: atque id praesertim interest admodum in acutioribus febribus, quas ardentes appellamus, in quibus Aegroti, praeter intensam sitim, exurentis, pene dixerim, caloris molestiam patiuntur. Intenso calori huic ut succurrerent Prisci Medici, omnem adhibebant operam, Aërem cubiculi, in quo degebant Aegroti, omni ope attemperando. Quemadmodum solliciti maxime tunc ii erant (animadvertente (46) *Avicenna*) ut flabella plurima ibidem suspensa essent, quorum crebro motu agitatus indesinenter Aër aequa proportione refrigesceret. Nivem etiam accumulabant, & dulcis aquae fontes, accurato paratos artificio, ibidem excitabant, a quibus assidue prosiliens unda, Aërem verberaret maxime, nec non frigidiorem efficeret. Praeter haec undequaque Salicum, Cydoniorum, Myrthi, Nenupharis, aut similium folia sternebant, aqua rosarum madentia. Neque insuper ibi deerant sat ampla vasa, frigidis referta fructibus, boni odoris, & eadem rosarum aqua inspersis, una cum tenuissimo Santalorum pulvere, atque etiam rosarum, & Camphora: cavendo insuper, ne plures, quam opus esset, in Aegroti cubiculo degerent Adstantes, quorum potissimum assiduo, & multiplici halitu quantum ibidem incalescat Aër, unicuique patet. Quod autem operosa haec Veterum Medentium industria, pro congrua Aëris temperie in Cubiculis Aegrotorum excitanda, atque tollendo molesto Aestu, non uti vana,

(45) Hieronym. Nigrisol. Progymnas. 2.
(46) Avicenna lib. 4. Fen. 1. Tract. 2. cap. 10.

vana, vel ridicula habenda sit, quisque facile concedet; eoque magis posteaquam spectatissimus & doctrina & experientia, Caesareus Archiater nostri aevi celeberrimus, L.B. *Gerardus Van-Svvieten* (47) non modo *Sydenhamii*, *Celsi*, & *Aëtii* auctoritate, verum etiam solidissimis rationibus ostendit, quanti utique ad hoc ea valeant sedulae Antiquitatis praesidia, quantique ideo sint aestimanda. Verumtamen, etsi in hoc tanti Viri auctoritati acquiescere nullus ego dubitem: mihi nihilominus videtur, quod summum omnium, & magis efficax praesidium tunc sit, ut Aegrotis hisce, nimis ob vehementiam febris aestuantibus, succurramus: si identidem non flabellorum ope, sed apertis, uti opus fuerit, fenestris, occlusus in cubiculo permutetur Aër, puriore alio in ejus locum prudenter intruso. Praeterquam quod enim Aër ibidem calescit maxime, parique pacto rarescit, ita ut & laboriosam respirationem, & eo pejorem aestum Aegrotis adferat: ille praeterea noxiis imbuitur halitibus, qui ab infectis corporibus illis assidue emanant; unde & eo magis magisque ii Homines infici solent. Quas omnes animadversiones ob oculos caute habens *Trillerus* (48) in curatione Pleuritidis, praeter caetera, ita admonet. *Fenestrae frequentius per diem nonnihil aperiendae, sudo imprimis & clariore coelo, quo aër purior, & salubrior, & frigidior paulo intromittatur, ne miseri Aegroti, putrida sua atmosphaera circumfusi, sordidas suas exhalationes continuo inspirando, & resorbendo, & suffocentur tandem, & in vivum quasi Cadaver commutentur. Quod & in universum in omnibus morbis acutis, inflammatis, & exanthematicis, ut Morbillis, Variolis, Petechiis &c. sedulo observandum esse, post Hippocratem*

---

(47) Van-Svvieten Com. in aph. Boerhaav. parag. 605. n. 2. & parag. 691. 698. 742. & 743.

(48) Dan. VVilh. Triller. de Pleuritide cap. 4. n. 8.

pocratem, *Aretaeum*, *Celsum*, & *alios Veteres*, *praeclare docuit Sydenham*, *Baglivus*, *Boerhaavius*, *Hoffmannus*, & *alii Viri magni*. Quae porro praesidia omnia externa, tametsi optima, & vere utilia forent, non ea tamen, uti praecipua, habebant Veteres Medici. Ideoque tantum aberat, quod iis dumtaxat fiderent, ad febrilem attemperandum aestum; ut potiore jure majorem ab internis auxiliis sibi spem pollicerentur. Apposite ideo praecitato loco, pro Aegrotorum hujusmodi potu, ad propositum nostrum memorat *Avicenna* & *succum Granati muzi*, & *acetosi*, *Aquam Agrestae*, & *Aquam mori de semi*, *atque denique Aquam acetositatis Limonis*, & *Citri*: quae sane posterior aqua ad hoc omnem, prae aliis, meretur laudem: uti cum *Ebembitar* probare intendimus. Hujusce autem Arabici Auctoris in hoc sententiam eo pluris habendam esse reor, quo magis utilem fore puto malorum Limoniorum succum, quam vulgares Emulsiones, ex seminibus frigidis paratas, quibus temere, pro sedando nimio febris aestu, fidere plerique solent: quippe quia nempe quo magis febris viget, eo magis timendum nobis sit, ne emulsiones illae subinde facile acescentes, & stomacho molestiam, & sanguini tumultum adferant, atque luctam. Neque abs re fore censeo, si hac eadem occasione eorum quoque opinionem perpendam, qui indiscriminatim existimant, in hisce ardentibus febribus nullum aliud efficacius, ad refrigerandos Aegrotos, haberi praesidium posse, quam a copiosa, & pluries iterata sanguinis emissione. Quod sane pro certo magis habent, quo tutior conjectandi iis ansa videtur, quod tenax maxime tunc vigeat sanguinis compages; atque id praecipue, quia is, qui primum a secta vena prodierit, sanguis lente admodum, ac pene guttatim effluere visus sit. De hoc autem, ut meam hic obiter sententiam indicem, concedo quidem, quod in Plethoricis Aegrotis, in

quibus

quibus tunc forte tumeant summopere vasa, componentes sanguinis moleculae, stricto nimis nexu coeuntes adinvicem, dum in febrili lucta vehementer agitantur, aequa proportione tunc colliduntur mutuo, ita quod major exinde in iis aestus eveniat. Eaque propter Phlebotomia, uti fas sit, celebrata, quandoquidem majus properanti sanguini spatium parabit, illud insuper efficiet, quod minor postea molecularum collisio fiat, sive mavis quod minor inde succedat aestus: atque in hoc revera casu sanguinis facta emissio, veluti efficacissimum attemperans, seu refrigerans remedium, habenda revera foret. Attamen, quod, ob eamdem rationem, iterum iterumque educendus sanguis sit, quam quod sana vere methodus postulet, sin minus permittat, haud unquam assentiar: maxime quia metus hinc esset, ne subinde plurimum debilitarentur Aegroti. Idcirco in hisce circumstantiis, & in aliis etiam, in quibus unquam expediat sanguinem educere, *Avicennae* (49) *consilium* mente sedulo revolvat Medicus, quod quidem *in phlebotomia est, ut dimittatur, quantum possibile est, si autem non est possibile, tunc multiplicatio numeri est melior multiplicatione quantitatis ..... Nam debilitatur virtus a resistendo in Crisibus expectatis.* Atque eo minus ad attemperandos humorum aestus, ideo emittendi copiose sanguinis indicatio urgere Medicos debet, quia tenacitatis sanguinis signa ex eo repeti posse credantur, quod, secta vena, vel nullus pene sanguis, aut parum, difficileque prodeat. Haec enim conjectura fallax omnino est, & flocci facienda; quae propterea illis dumtaxat arridet, qui nulla ad hoc ratione ducuntur, ideoque facile nimis Chirurgis tunc aures adhibent, qui merito a Clarissimo *Brogiani* (50) hisce verbis irridentur. *Quis a risu sibi temperet, qui garrulos*

(49) Avicenna lib. 4. Fen. 1. Tract. 2. cap. 7.
(50) Domin. Brogiani de Veneno Animantium.

garrulos quosdam Chirurgos audierit, obicum a pinguedine, membranulis, fibrae elasticitate &c. profluentium immemores, tam frequenter crassitiem sanguinis accusare, quotiescunque vel nullus, vel difficilis ex incisa vena sanguis erumpat, dummtamen eo ipso momento per infinitos omnino tubulos, eosque supra omnem fidem tenuissimos, ille ipse sanguis incredibili, facilique celeritate circumfertur? Egregium revera eruditissimi hujusce Viri monitum! Quod quidem ut plurimi a Clinicis Medicis fiat semper, interest maxime, quo saepius crassitiei, & tenacitatis sanguinis idea apud vulgares Medentes sonat, maxime cum inde phlebotomiae necessitas inconsulto repetatur.

Ast, ut eo redeamus, unde non frustra digressi sumus; dum Limoniorum succi speciales hic prosequimur vires, eum primo comparabimus cum aliis potionibus, quarum usus familiaris est, occasione acutarum praecipue febrium, ut calor, & aestus sanguinis imminuatur, imo tollatur penitus. Ejuscemodi praecipue vulgares emulsiones illae sunt, quae ex seminibus illis conflantur, quibus frigiditatis varii gradus adscribi solent. Ast de hisce idem propemodum dici merito posse censerem, quod de Oleo amygdalarum dulcium toties alias innui, & aliquando data opera demonstrabo susius: quod scilicet vix credibile sit, quod emulsiones illae assumptae, dum febrilis viget urens calor, eam vere servent blandam temperiem, quam antea habebant: unde plerumque rancidae factae, noxam potius adferant; quippe quia nerveas irritando fibras, haud leves exsuscitant tumultus. Nec impar infortunium ii plerumque patiuntur, qui, tam ad laxanda solida, quam ad fluidorum attemperandum aestum, sero lactis depurato utuntur; cujus quidem quam facilis eveniat corruptio, & flatus inde fiant, enormi praesertim vigente febris calore, nemo est, qui ignorat. Acetum quoque, tametsi veluti refrigerans,

priscis

priſcis uſque temporibus, in ardentibus febribus uſuvenire conſueverit, atque adhuc ab aliquibus probetur; haud ita ſemper meretur laudem, congrua ejus facta cum Limoniorum ſucco comparatione, quam, ad mentem *Ebembitar*, Artic. IX. ſubnectam. Eo minus autem Vitrioli ſpiritus, ut ut acidiſſimus, ſicuti & alii ejuſdem cenſus liquores, a Mineralibus eliciti, tuto in hunc uſum revocari poſſunt: quidquid, prae aliis, ſecus exiſtimet *Andreolus* (51) Medicus Veronenſis, qui hujuſcemodi remedio, tanquam attemperante, & antifebrili, authorante *Riverio*, in aeſtuantibus febribus utendum nobis eſſe, monet. Quae revera enim intercedat differentia inter hoſce acidos minerales liquores, & eos, qui a vegetabilibus, atque praeſertim a Limoniis malis eliciuntur, accurate, prae caeteris, indicavit eruditiſſimus *Antonius Cocchi* (52): quippe qui, dum iſtorum miram facultatem, pro ſedando febrili aeſtu, ſummopere commendat; e contra illorum uſum nocere plurimum poſſe, docet. Eademque occaſione, qua vulgarem eorum opinionem merito refellit, qui putant, quod vegetabilia haec acida remedia plerumque inſenſa Aegrotis ſunt: oſtendit inſuper, quod ne dum ipſa effraenes humorum aeſtus attemperant, atque compeſcunt: ſed etiam incidente, ac reſolvente, qua pollent, vi, humorum concretiones illas arcent, atque tollunt, propter quas utplurimum acuti morbi infauſtos ſortiuntur exitus. Ex quo potiſſimum, tanquam per conſectaria, authore *Ebembitar*, deducimus, egregium hunc Limoniorum ſuccum in inflammationibus Viſcerum valere plurimum, uti & in aliis ſtaſibus, a quibus peculiares fiunt concretiones, ab eodem arabico Auctore diligenter indicatae. Dicimus autem ipſum in inflammationibus

E ſpe-

(51) Mich. Angel. Andreol. de febribus &c. lib. 1. cap. 1.
(52) Anton. Cocchi diſcorſo del Vitto Pitagorico.

ſpeciatim prodeſſe, tam ut eae, quae forte evenire ſubinde queant, arceantur; quam ut aliae, jam factae, ſolvantur citius, ſi poſſibile ſit. Atque utrumque nemini mirum erit, ſi illae rite inveſtigentur cauſae, quae, occaſione dictarum febrium, inflammatorias efficere ſtaſes, eaſque ultra firmare aptae ſunt, uſque dum inde mors ſequatur. Enimvero, poſito quod immediata inflammationis cauſa (uti accuratiores hujus aevi Medici cum Immortali *Boerhaavio* putant) utplurimum ſit *error loci*, relate ſcilicet ad humores illos, qui tunc propriam praetereundo ſemitam (quam merito inire, vigente ſanitate, debent) alienos, ut dicimus, ſubeunt ductus, in quibus exinde reſident, atque concreſcunt, uſque eo, dum affectam eam partem alterent, in tumorem attollant, eamdemque demum omnino corrumpant: hinc facile intellectu erit, quomodonam, adaucta maxime, in hiſce febribus velocitas ſanguinis, ad hoc anſam ſaepiſſime praebeat. Quamobrem cum Limoniorum ſuccus, ceu effraenes, uti innuimus, humorum tumultus ſedare valens, celeritatem quoque ſanguinis imminuat, impediet etiam, ne inflammatoriae ſtaſes, hiſce morbis familiares, ſaepe adeo contingant. Nec impar erit ratio, ſi de aliis loquamur inflammationibus, quae factae revera ſint. Ad eas etenim ſolvendas requiritur primum, quod ſtagnans tunc humor attenuetur, atque ad motum ſollicitatus, in aream circulationis denique tendat: quo modo ab inflammatoria ea ſtaſi pars affecta opportune liberetur. An non ideo & ad hoc valere plurimum poterit Limoniorum ſuccus, quem & attenuante, & abſtergente vi pollere, ſupra ſatis oſtendimus, ac eo magis magiſque demonſtrabimus poſtea? Cum itaque vel ob adauctum ſanguinis, aliorumve humorum motum, vel ob acrem, ſive mavis, corrodentem ipſorum vim, eae in cute fiant puſtulae, quas, ob varietatem materiae, in ipſis contentae, *Bothor*, & *ſare*, &

ſahaſati

sahafati nominare *Ekembitar* hic voluit: iis optime medebitur iste succus, & intra, & extra, juxta indigentiam, usurpatus: tanquam is, qui stagnantes ibidem attenuabit humores, acremque eorumdem qualitatem evincet; ita ut modo ob alterutram, modo ob utramque rationem (ut specialis morbi indoles, aut causa postulat) eae demum pustulae aboleantur penitus. Idemque Limoniorum succus pariformiter succurret aliis humorum concretionibus, seu stasibus, in *Uvula*, vel in Amygdalis, vel in alia quavis Pharyngis, aut Laryngis parte progenitis: quotiescunque scilicet iste succus vel in aqua ebibatur, vel pro gargarismate cum saccharo fuerit usurpatus. Neque quidquam obstat quod *apostemata* ibidem facta sint: dummodo id caute fiat, videlicet juxta eam normam, quam in antecedente Articulo proposuimus. Caeterum, ut generatim dicam, in ardentibus febribus, in quibus enormes fiunt humorum aestus, Aegrotis infensissimi, cum intensa siti, & siccitate faucium, atque linguae; hisce admodum prospiciet Medicus, si jubeat, quod identidem, & saepe simplicem, frigidamque ii ebibant aquam, in qua succus Limoniorum recens expressus fuerit, eaque copia, quae congruam ipsi adferat aciditatem, modico insuper, si lubeat, adjecto saccharo. Potionem gratissimam hanc vulgo *Limonada* nominant, quam & alio modo parari posse, sic a *Poterio* edocemur. (53) Limoniorum succus, *solis calore addensatus, aut in Hypocausto, aut alio loco calido exsiccatus in formam solidam, servetur in Pyxide, vase vitreo, aut quovis alio. Ejus minima quantitas in jusculo dissoluta, aqua stillatitia communi, aut simili potum reddit gratissimum, & elegantissimum*. Aliam hujuscemodi potionem, *Limonada* dictam, ex Limoniorum succo praecipue paratam, ad sedandam in Aegrotis sitim, *VVolfgangus*

(53) Petr. Poterius in Pharmacop. Spargyr. lib. 3. Sec. 2.

Höferus (54) hisce verbis indicat. *Plurimis arridet potus* Limonada *dictus*, *& Italis quam maxime consuetus*, *ex aqua fontana cum saccharo parum cocta*, *additis sub finem coctionis aquae*, *adhuc tamen ferventi*, *corticibus Citri*, *vel Limonum extimis*, *& recentibus*, *& succi eorumdem quantum satis ad suavem acorem. Palato gratus*, *& oculis quoque amicus potus*; *refert enim colorem Vini Neccarini. Cujus mentionem quoque Horstius facit Oper. tom. 2.pag.* 130. Potio haec *VVolfgangi*, ob additos cortices Citri, ejusque succum, suavior quidem est, quam altera, a nobis indicata; sed majoris expensae, quam quod ab omnibus parari facile queat: dum alioquin nostra, quae simplicior est, aeque intento satisfacit, atque fortasse utilior, quam alia, cui saccharum adjunctum sit. Nam, dum ad voluptatem tantum aliquid sacchari addi permittimus, una noscimus, quod ea, quae sine saccharo fit potio, longe est aptior, ad effervescentiam humorum melius, citiusque sedandam; uti alias probabimus. Ea quoque aliter laudari meretur potio, juxta *Poterii* descriptionem; quo magis interest, quod etiam tunc cum Limoniis fructibus careamus, praesto nobis sit semper succus ille condensatus, qui recentis alterius defectum suppleat, ad hanc parandam utilem potionem. Praeterea vices potionis hujusce cum Limoniorum succo, pro grato solum oris sapore, & ablutione, supplere quoquo modo poterunt Limoniorum frustula, seu taleolae, paululum saccharo aspersae, (si lubeat) & in aqua simplici maceratae, quae in ore detineantur, atque sugantur. Istae enim taleolae (55) *appetitum languentem excitant*, *sitim potenter extinguunt*, *& febrilem ardorem compescunt*: quo nihil utilius, aut gratum magis Aegrotis evenire tunc potest.

Quae


(54) VVolfgang. Höfer. Hercules Medicus lib. 6. cap. 1.
(55) Geoffroy Tom. 2. Mater. Med. Part. 2. Sec. 2.

Quae cum ita ſint, Limoniorum malorum ſuccus in hiſce febribus, quae, prae aliis, enormem adferunt humorum aeſtum, optimi, & grati cardiaci remedii vices geret, aliiſque hujuſce cenſus pharmacis erit utique praeferendus. Si enim ſano quiſpiam ad hoc utatur ratiocinio, illud vere cardiacum remedium dicet eſſe, quod ea praeditum ſit facultate, cujus ope vis Naturae, ſi vigeat, in eo conſervetur ſtatu: vel in priſtinum reducatur, ſi ea unquam diminuta ſit: quod idem eſt ac dicere, quod eo praeſidio ſpeciatim motrices corporis vires aut ſerventur, aut reſtituantur, uti opus eſt. Ea idcirco remedia, quae eas arcent, aut tollunt cauſas, ob quas motrices imminuuntur vires, cardiaca, hoc ipſo revera erunt. Proinde in allatis circumſtantiis, cum effraenis ſanguinis motus (eo quia aeſtus illos immoderatos producit) vires haſce motrices admodum cohibeat, ſuccus Limoniorum, uti cardiacus, habendus erit, imo omnium melior: quippe qui immoderatos aeſtus compeſcet, ac una craſſeſcentes attenuabit humores, ne ii ſtagnando partes fortaſſis obruant. Secus autem quomodonam cardiaca illa dicemus eſſe praeſidia, quae tunc effraenatos hoſce humorum tumultus excitare, vel augere potius, quam ſedare apta quomodolibet ſunt? Haud tamen inficiabor unquam, quod ſi, hiſce oppoſitae, circumſtantiae vigeant in ſpecialibus febribus, in quibus aliquando torpeſcunt potius humorum motus (tam ob eorum tenacitatem nimiam, quam ob ſolidorum praecipue laxitatem, & inertiam): tunc ea praeſidia cardiaca uſuveniunt, quae fibrarum tonum roborando, humoreſque attenuando, praedictas motrices vires magis vegetas exinde reddant. Aſt tunc generoſum vinum, moderate uſurpatum, cujuſvis cardiaci vices optime geret; atque propterea utilius erit, quam alia quaeque aromatica, ſummo parata ſumptu, ex multiplicibus pretioſis remediis, quae in officinis ad pompam dumtaxat aſſervari deprehen-

 duntur.

duntur. Nam ejuſcemodi nimis compoſita remedia tantum abeſt, quod expetitum Corpori robur addant; ut potius, ſimulac Aegrotorum ſtomachum maxime deſatigant, Argento illos emungant. Atque oh utinam aliquando pro bono publico reſipiſcant ii, qui tot vulgaribus cardiacis confectionibus (quae contrariis utplurimum remediis ſcatent) eo uſque fidunt, ut Aegrotis quam maxime noceant! Quod quidem potiore jure dicendum de illis eſt, qui pretioſas Margaritas fruſtra iis immiſcent, atque etiam Auri folia, quae primum, neſcio quo fato, in Medicinam invexerunt Arabes Medici, (56) chimaericis hiſce inventis ignarum decipientes vulgus.

Atque ut ad propoſitum redeam: quia, ut diximus, non in omnibus aeque morbis ſemper Limoniorum ſuccus adhibendus eſt: id ipſum eo fuſius poſtea explicandum erit, ut pateat, quando vere conveniat, aut non.



CAPUT

(56) Hiſtoir. de la Medecin. &c. Par Daniel Le Clerc pag. m. 771.

CAPUT III.

ARTICULUS V.

Quod Malorum Limoniorum ſuccus potiſſimum attemperet Bilis aeſtus, ſeu mavis furorem, ideoque ſedet morbos, & accidentia, quae inde fiunt.



Uotieſcunque Bilis naturalem diatheſim ſuam ſervans, congrua copia, debitoque modo, & tempore ad inteſtina tranſeat; cum oeconomiae animalis regimini rite conferat, bene ſe habet Homo. Ea enim non modo ciborum concoctioni tunc favet, verum etiam periſtalticum inteſtinorum motum opportune adjuvat: unde & Chyloſa materies facile inteſtinale ſubit undique cavum, ut a venis lacteis exſugatur; & quae inde emergunt foeces, uti fas eſt, eliminentur. Ut bilis naturalem aſſequamur diatheſim, ſanitati conferentem, ſatis erit cum celeberrimo *Hallero* (57) animadvertere, quod *analyſis Chymica, vel experimenta ex miſcela cum variis corporibus, demonſtrant, aquae quidem ipſi ineſſe plurimum, non tamen parum olei inflammabilis, ad duodecimam fere partem, quod in calculis cyſticis adeo manifeſtum eſt, neque etiam ita parum ſalis volatilis alcalini. Sapo ideo eſt, ſed ex eo genere, qui ex lixivo volatili ſale fiunt.* Ob haec autem principia, praeſertim flava bilis eſt amara, & viſcida, necnon vim habet blande detergendi, aliaque proinde

(57) Albert. Haller. Lin. Phyſiolog. cap. 27. n. 693.

ab ea fiunt, quae, vigente sanitate, contingunt, praecipue in Abdomine, quo usque bene se habet Homo. Eadem autem Bilis varias nobis adfert aerumnas, pro ut vel ejus copia deficit, vel abundat, vel ea festinanter, aut tarde nimis a colatoriis ductibus suis effluit: quae omnes hujusce humoris morbosae vices a variis tunc occurrentibus symptomatibus eruuntur. Utplurimum vero longe pejora nobis adfert incommoda, quotiescunque, ob oleosam subalcalinam indolem suam, ex quavis interna, vel externa causa, acris evadit, seu mavis, rancida facta, irritans summopere, atque spissior fit, magis amara, simulac varios, praeter consuetum, colores acquirit. Idque praecipue contingit, dum minus aquae in ea remanet, atque, praevalentibus oleosis moleculis, in aestus prona redditur, atque magis idonea, ad eas irritandas partes, in quibus detinetur, aut ad quas utcunque fluit. Haec autem, ut opinor, potissima ratio est, cur, caeteris paribus, Aestatis calidioris tempore, bilis eo magis, quam alias, dum fervet, & acris fit, infensa nobis evadat, eosque speciatim exsuscitet morbos, qui Aestate revera graviores sunt, atque magis frequentes, quorum ideo fomes in imo Ventre latet. Etenim Aestate, quippe quod magna pars aquae, seu lymphae per cutis poros disperditur, ejus minor copia remanet, quae bili immisceatur, ut effraenes hujusce motus attemperet. Idcirco tunc bilis & spissior, & magis amara, magisque colorata, seu utcunque morbosa redditur.

Hujuscemodi est prava bilis diathesis, quam *Ebembitar* hic indicare videtur, dum *acutatem colerae Citrinae* nominat, cujus edomandae *malitiae*, & *furiae*, tanquam consentaneum maxime remedium, Limoniorum succum commendat, qui scilicet ejus viribus omnino opponitur, etiamsi infensa adeo bilis qualitas dominetur, ut veneni pene indolem sapiat. Et porro si quis animadvertat, quod ideo tunc bilis tam noxia

noxia est, quia spissa magis, quam oportet, & efficax evasit, ideoque stricte nimis adhaerens partibus, quas propterea *acuitate* sua vellicat, & irritat maxime, simulac aestum, & tumultum in humoribus progignit: quis unquam praestantius remedium aliud, quam Limoniorum succum adhibeat, ut citius, & melius ejus actioni, seu *furiae* resistat? Siquidem iste succus ne dum incidit, & attenuat, verum etiam bilis amarorem solvit, ejusque effervescentiam sedat; attemperat nempe suppeditando fluidum, loco aquei illius, quo, ut innuimus, magna ex parte fuerat ante spoliata. Apposite ideo monet *Nigrisolius* (58) quod *tot & tantis pollet facultatibus succus Limonum, idcirco in febribus praecipue biliosis, ubi praesertim crassior bilis abundat, urgeat sitis, adsint obstructiones, gravae & venenatae qualitatis vigeat suspicio, praestantissimum fore illius usum, inficiari nemo potest. Sua enim frigiditate febrilem compescet calorem, sitim extinguet, partium tenuitate bilem crassam incidet, attenuabit, obstructiones aperiet.* Acidorum autem miram facultatem, ad bilis furorem, seu potius *malitiam* extinguendam, ultra indicat expertissimus *Riverius*, ita ajens: (59) *Acida in biliosis febribus nunquam omittenda; quia amara dulcificantur per acida; quae si intensa sint in suo gradu, ut spiritus Vitrioli, aut Sulphuris, ipsius Alöes, & Colocynthidis amaritudinem delent. Bilis autem flava, suo amarore spoliata, mortua est, & innoxia.* Utcunque tamen & spiritus vitrioli, aut sulphuris aptus magis a *Riverio* credatur esse, ad amara dulcificanda: non ita facile remedia haec, in dictis circumstantiis, Limoniorum succo praeferenda esse concederem; quippe quod tam suapte natura, quam ex imperitia eorum, qui illa quandoque praeparant, haud semper suspicione careant; dum revera persaepe nocent.

(58) Hieronym. Nigrisol. Progymnas. 2.
(59) River. Praxis Medic. lib. 17. cap. 2.

nocent. Praeterea, quod alia ejuſcemodi acida praeſtare poſſe creduntur, id ipſum efficit, teſte *Nigriſolio*, (60) Limoniorum ſuccus. Siquidem *plures acidae Citri, & Limonum parti, vel ipſo Galeno Auctore, vires ſunt tribuendae. Omnia enim ea, quae acidis communiter cenſuit convenire, eadem acido Limonum, vel Citri aptanda eſſe manifeſtum exiſtit*. Verum ſi quis in hoc ſucci Limoniorum vim, cum ea, qua Citri ſuccus pollet, comparare velit; licet & hujus etiam congruum eſſe, & utilem uſum exiſtimaverim: nunquam tamen concedam, quod par utriuſque ſucci facultas ſit. Nam *Limoniorum ſuccus* (61) *acidus, crudus, frigidior, ſicciorque Citri ſucco habetur; incidit, vomitum, & nauſeam ſedat*.

Cum ergo, ex dictis, efficax adeo ſit Limoniorum ſuccus, tam ad effraenes bilis aeſtus ſedandos, quam ad ejus tenacitatem ſolvendam, ne ea ſcilicet membraneis adhaerens partibus, in iis ſpaſmodicas exſuſcitet contractiones: hinc facile captu erit, quomodonam iſte ſuccus iis omnibus proſpicere queat ſymptomatibus, quorum hic *Ebembitar* meminit. Ideo ſive in Hepate conſiſtat tenax haec, & irritans bilis, ſive in Ventriculi cavo, ſive in partibus eidem contiguis; utilis ſemper erit iſte ſuccus: dum bilioſum humorem illum tam attenuare, quam attemperare cito poteſt. Quod autem, ob affluxum acris hujuſmodi bilis, nervea Ventriculi ſtamina patiantur admodum: id evincunt, prae aliis, gravia accidentia illa, quae Tertianas febres, eaſque maxime, quae perniciosae ſunt, utplurimum comitantur. Ejuſmodi ſunt vehementes vomendi conatus, vel inanes prorſus, vel cum bilioſis ejectionibus facti: nauſea, inappetentia, Lypothimiae, cardialgicae paſſiones variae, oris amarities,

(60) Hieronym. Nigriſol. ut ſupra.
(61) Jo: Jacob. VVecker. Medic. Syntax. lib. 1. part. 3.

amarities, sitis, & alia hujusce census symptomata. Quae omnia potissimum ideo fiunt, quia irritans acris illa bilis, & Ventriculi, & Intestinorum tunicas afficiens variis modis, ibidem nerveas fibras ita distorquet, ut aliquando peristalticus inversus motus eveniat; aliquando & per consensum nervorum aliae superiores afficiantur partes, quae cum Ventriculo, & Intestinis insigne magis obtinent commercium. Quamobrem hisce omnibus illico succurret succus iste, copiose cum aqua assumptus: qui simulac aestuantem noxiae bilis vim enervat, eam quoque dissolvit, urgetque ad motum, ut educatur citius. Atque hoc ut fausto magis omine contingat, ea sane, ante succi hujusce usum, adhibenda praesidia sunt, quae hostilem humorem illum, aut ad superiora, aut ad inferiora blande urgeant, ita quod ad alterutram partem eidem liber magis paretur aditus, ut congruo tempore eliminetur. Idcirco tunc utile Aegrotis evadit, quod emollientes injiciantur Clysteres, eoque magis si, inani urgente vomitu, tepentem abunde ebibant aquam: quo modo, aut infra, aut supra eliminata quadantenus bile, qui assumitur postea Limoniorum succus, eo melius, & citius optatum effectum praestat: uti ego saepissime in hisce circumstantiis observavi. Quotiescunque vero summa tunc est debacchantis, ut ita dicam, in illis partibus bilis saevities, non solus utique sufficit Limoniorum succus: ast illi insuper opium fas est addere, ut intento satisfaciat. Ideo tunc prodest, *Riverio* docente, quod Salis Absynthii scrupulum unum, cum grano uno circiter Laudani Opiati, in succi Limoniorum modica dosi, Aegroti assumant: id quod ego toties utile expertus sum, imo tanquam certum praesidium, tunc cum in summo Tertianae febris aestu cardialgicae vehementes passiones vigent: quae derepente hinc fere cessant, uti in editis a me Cremonensibus constitutionibus animadverti. Neque solum ita

prodest

prodest Limoniorum succus cum Opio, ad sedandum vomitum, aliasque stomachi passiones, quae in hisce febribus excitantur; verum etiam, ut vomitus ille tollatur, seu gravis stomachi molestia, quae tunc evenit, cum emeticum, aut purgans aliquod remedium fuerit assumptum; uti merito animadvertit praelaudatus eruditissimus *Van-Svvieten* (62). Etenim, *postquam acres, & putres biliosi humores, aut lenta, & viscida fluctuans materies in Ventriculo, aut ejus vicinia collecta, fuerint expulsa per emetica, aut purgantia*, accidit *tamen vomitum fieri ab ingestis illico, ob nimis sensibilem jam redditum Ventriculum, & post repetitas toties in frequenti vomitu convulsiones, facillime irritabilem. Tunc opiata, quae omnes hos tumultus sopiunt, & acriorem Ventriculi sensum obtundunt, hic maximum usum habent. Celebre ad hos usus laudatur remedium illud antiemeticum Riverii*: quod paulo antea descripsimus. Attamen licet ea modica succi Limoniorum dosis, adjuncto Opio, veluti congruum sedans remedium in recensitis circumstantiis utiliter usurpetur, ut urgens illud vomitus symptoma sedetur protinus: nihilo tamen secius, ut furentis tunc bilis aestus omnino compescatur, eaque citius ad exitum sollicitetur; opus erit quod interdiu & saepe, & abunde eodem succo cum aqua utantur Aegroti, nec non diluculo praesertim, & jejuno stomacho. Quamobrem frigida aqua, cum eo succo, serviet pro ordinario potu; qui quidem & enarratis succurret symptomatibus, & intensam sitim, atque febrilem calorem imminuet. Ob eamdem autem causam, propter quam tunc succus iste, aquae frigidae adjunctus, aeque suavem ac utilem potum praestat; ita & pro grato condimento jusculis, aliisque edulis addendus erit, in febricitantibus, atque etiam Puerperis foeminis: maxime quia non adstringens (ut vulgo creditur) sed attenuans,

(62) Van-Svvieten Com. in Aphor. Boerhaav. parag. 658.

nuans, & aperiens ille eſt: uti ſupra ſatis oſtendimus. Quidquid enim in oppoſitum oſcitanter nimis *Albertus* aſſerat, (63) quod Limonia mala *incraſſant*, *coagulant*, *& ex parte adſtringunt*, *& hinc non aeque ſelectam utilitatem medicam habent*; tamen & iteratis fretus experimentis, & ratione duce, congruum exiſtimo, quod circa haec, auctorante *Nigriſolio*, ſic inſtruantur Tyrones Medici. (64) *Concedant jam miſeris febricitantibus, defeſſis, & languidis Puerperis, ſiti utplurimum, & nauſea vexatis, jucundum hoc ſaltem ciborum condimentum, Medici nimium formidoloſi, ac vetularum cantilenis addicti, ut ſuaviore reddito alimento, quod & meliori praeferendum eſt, juxta divini Hippocratis oraculum. . . . & fractas, ac deperditas vires reſtaurando, alacriores evadant.* Huic inſuper opinioni favere merito videtur *VVeckerus* (65) aperte docens, quod ſuccus Limoniorum, *obſoniis mixtus, appetitum excitat, guſtum movet, & vomitum reprimit.* Quod autem acida quaeque, eduliis immixta, dejectum appetitum excitent, apud vulgares etiam Homines in confeſſo eſt, qui propterea acetum adhibent. Verumtamen tunc, cum ideo appetitus deprimitur, quia ob irritantem, & aeſtuantem bilem ſtomachus laborat, haud facile concedam, quod acetum potius, quam Limoniorum ſuccus, uſurpetur: quippe quod inter utrumque non levis intercedit differentia, quam poſtea explicabimus.

Verum quod ad alia morboſa accidentia pertinet, quibus Limoniorum ſuccum convenire *Ebembitar* animadvertit; eadem pene ac de ſupradictis militat ratio. Eſto namque, quod *Soda*, quod *Vertigo*, *Scotomia*, & *Caſacha*, ac eo magis cholerici vomitus, a ſpeciali morboſae bilis copia, vel diatheſi

(63) Michael. Albert. Introduct. in Medicin. Mat. Med. cap. 5. n. 48.
(64) Hieronym. Nigriſol. ut ſupra.
(65) Jacob. VVecker. Syntax. Med. lib. 1. Part. 3.

diathesi tantum, vel aestu proveniant: hisce omnibus aeque prospiciet Limoniorum succus. Etenim *Soda* specialis est Capitis dolor: *Scotomia* tenebrositatem, ut ajunt, oculis adfert, quae accidit cum homo surgit e loco, in quo est; quae affectio (juxta expositionem *Andreae Alpago Bellunensis* in operibus *Avicennae*) dicitur etiam arabice *Sadurin*. In utroque hoc morbo, tametsi nervorum principia, sive eorum peculiares rami laborent: id fit non per essentiam, ut dicimus, ast solummodo per consensum: unde *sympatici* tantum ii morbi dicendi sunt. Etenim eorum potissima causa in confiniis Ventriculi latitans (nempe morbosa bilis) dum ibi vim suam exerit, ob commercium nervorum, supremi etiam Ventris partes ita male habent: non secus ac evenit, male affecto Utero, in hysterica passione. Quae porro explicatio *Ebembitar* judicium confirmat, qui pro causa istorum affectuum peccantis tunc bilis vapores, in altum delatos, (uti opinari solebant prisci Medici) distincte accusat: eademque valet ratio de *Vertigine*, in qua speciatim ad nervorum opticorum filamina, quae tunc convelluntur, atque distorquentur, est utique attendendum. Sic & *Casacha* cordis passionem significat, ita tamen ut per consensum tantum illud afficiatur; alterato videlicet stomacho a pessimae indolis bile, cujus noxiam qualitatem, nomine *colerae nigrae*, indicare voluit *Ebembitar*. Cum itaque isti morbi omnes, aut alii hujuscemodi a bilis morbosa actione principium sortiantur; iis semper Limoniorum succus prospiciet, si cum aqua copiose, & saepe, ut diximus, ebibatur, una etiam alimentis commixtus. Quod si unquam aestuans, & irritans maxime bilis haec non tantum circa Ventriculi confinia Tyrannidem suam exerceat, sed ad Intestina transiens, ea ita afficiat, ut peristalticus eorum motus plus aequo sollicitetur, ideoque, soluta nimis Alvo, diarrhoea fiat: aeque tunc, ob allatas rationes, huic morbo

bo etiam ſuccurret Limoniorum ſuccus, eo modo uſurpatus. Uti & par curationis methodus utilis erit, quotieſcunque ob irritantem bilem illam non ſolum nimis ſolvatur Alvus, ſed etiam exeſa hinc minima ſanguifera Inteſtinorum vaſa, cum foecibus ſanguinem effundant. Neque ad propoſitum noſtrum omittam, quod aliquando bilis, etiamſi pravam non contraxerit indolem, ratione tamen ſuae copiae, ejuſque uberioris fluxus ad Inteſtina, moleſtiam parit: dum ibi nempe copioſe accumulata, praeter modum aeſtuare deprehenditur. Hoc evenit praeſertim Aeſtatis tempore, potiſſimum vero cum aliquis in iram vehementer excitatur, ideoque bilis motus ad Inteſtina longe major ſolito tunc evadit: qua occaſione ſitis intenſa fit, cum amaritie Oris, & cardialgicae moleſtae paſſiones circa Ventriculum excitantur. Idcirco tunc proderit Limoniorum ſuccus abunde cum aqua ebibitus, qui bilis, copioſe nimis ad eas partes fluentis, aeſtum, & tumultum impediet, ſin minus compeſcet. Atque haec praecipua ratio eſt, ob quam iracundos Homines ſuadeo, quod ſtatim ac in Iram cientur maxime, plurimum ſtatim de hoc ſucco bibant, in aqua; quo quidem modo tam Corporis ea moleſta ſenſatio ſedatur, quam animi affectio cohibetur, & tollitur. Addo denique, quod cum Aeſtate magis, quam alio tempore, caeteris paribus, in unoquoque bilis abundet, & aeſtuare magis apta ſit: ideo tunc eo magis familiaris eſſe debet hujuſce ſucci uſus, cujus ſcilicet ope aeſtivi evitentur morbi, &, ſi qui unquam contingant, iis citius, tutiuſque medelam adferamus.

Prae aliis autem morbis, Aeſtate maxime, & Autumno graſſantibus, febres Tertianae ſunt, quae a bile praeſertim originem quoquo modo habent. Hiſce dum Limoniorum ſuccum opitulari, docet *Ebembitar*, puras a non puris diſtinguit: ego vero cum aliis Auctoribus legitimas,

&

& spurias eas nominare malo. Utrisque hisce febribus ideo obviam ire Limoniorum succum, animadverto, quia ipsae si non immediate, mediate saltem a bilis speciali actione dependent, aut inde saltem longe graviores fiunt. In legitimis Tertianis febribus tenuiorem, atque magis aestuantem saevire bilem, existimo: in spuriis vero tenaciorem, ac longe minus mobilem. Hujuscemodi vero bilis dominium in Tertianis hisce febribus indicant Anni tempus, quo facilius insurgunt, & gravius saeviunt; specialia, quae eas comitantur, symptomata; atque potissimum morbi illi omnes, in quos tunc transeunt, cum diutius protrahuntur; non neglecta ratione temperiei, qua ii, prae caeteris, pollent, qui in hasce febres sunt procliviores. Et porro, si symptomata quaeque, in Tertianis familiaria, quispiam consideret, non alia ea esse cognoscet, quam furentis bilis effectus, quibus solvendis Limoniorum succus, ex dictis, omnino conveniens est. Revera viget in hisce vomitus, modo inanis cum amaritie oris, modo cum biliosis excretionibus. Alvi biliosae dejectiones fiunt, & aliquando dysentericae, plus minusve copiosae, cum Intestinorum cruciatu, & premitu. Cardialgicae exsurgunt stomachi passiones, saepe cum lypothimia, & anxietate. Sitis urget maxime, cum inappetentia, nausea, vigiliis, & enormi praecordiorum aestu; dum pulsus frequens, concitatus, & parvus evadit. Internus vero ille aestus, ita quandoque crescit, perinde ac si interiora urantur, simulac exteriora frigent undique, & morti proximus Aegrotus videtur esse. Graviora autem ejusmodi symptomata praecipue occurrunt in Perniciosis Tertianis, atque in iis maxime, quae *Lypiriae* nominantur; quae etiam ad spuriarum classem reduci possunt, de quibus nempe fusius in memoratis Cremonensibus constitutionibus egi. In hisce viscidior, & furibunda magis saevit bilis, quam itaque dissolvere, & refrae-

nare

nare admodum valet Limoniorum succus, abunde in aqua usurpatus: qua sane potione nec ulla suavior, nec ulla magis utilis Aegrotis hisce tunc administrabitur: dummodo & lenia purgantia (si necessaria videantur esse ad educendam bilem) sin minus emollientes Clysteres in usum revocentur, juxta saniorem methodum, non omissa quandoque sanguinis emissione, pro specialibus Aegroti circumstantiis. Caeterum interest maxime, ut, quo citius fieri possit (statim ac alia, ut diximus, peracta secundum rationem fuerint) Perniciosae febres istae usu Chinae Chinae edomentur, anteaquam pessimum *Lypiriae* caracterem induant, aut saltem ad summum statum perveniant, in quo suspiriosi, ac singultuosi facti, Aegroti plerumque miserrime pereunt. Neque tamen obstat quidquam, quin, si Chinae Chinae sollicito tunc opus sit usu, simul & Limoniorum succum adhibeamus. Nam ii toto coelo errant, qui ea occasione succum hunc praescribere renuunt, perinde ac si febrifugi actionem ipse destruat, aut saltem coerceat maxime. Quae chimaerica opinio adeo a veritate aliena censenda est, ut ex dictis apprime pateat, quod, uti Limoniorum succus effraenem bilem, veluti earum febrium causam, enervat; ita una cum febrifugo, junctis viribus, eo citius, atque melius effectum sortiatur. Neque quispiam opinabitur merito, quod Limoniorum succus ea propemodum ratione Chinae Chinae vim retundere queat, uti & alii fructus eidem opponi vulgo creduntur. Enimvero, dum huic opinioni nihil penitus experientia favet, non desunt aliqui, qui, febrifugo utentes, a fructibus etiam dulcibus, & herbis nihil abstinent, & nihilominus remedii effectum sortiuntur. Illud praeterea discrimen inter Limonia mala, & alios fructus (qui scilicet dulces sunt, iisque ideo adversatur vulgare priscorum Medicorum adagium) addere par est, quod *dulcia bilescunt*.

F Succus

Succus autem Limoniorum acidus est, ac proinde minime oppositus curationi febris, ac potissimum Chinae Chinae actioni: sicuti repetitis saepe observationibus ego didici. Pro coronide subdam, adeo verum esse, quod acida quaelibet in hisce febribus praecipue admodum prosint, ideoque nec Chinae Chinae vim destruant; ut, tanquam utilia, nedum apud Antiquos, verum etiam apud Recentiores Medicos audiant atque id eo rationabilius de Limoniorum succo dicendum esse, demonstravimus. Praelaudatus Caesareus Archiater meritissimus *Van-Svvieten* (66) Aceto, aliisque acidis praesidiis, cum aqua saepe utendum esse putat, tunc cum, ob summum Aëris calorem, ad putredinem disponuntur humores, aut ob nimiam Corporis exercitationem aestuant: propter quod demum in propositum nostrum ita subdit. *Cum autem in febribus aucto motu circulatorio, sales, & olea sanguinis acriora fiunt, & in putredinem vergunt, imo saepe in primis viis putrida excrementa deponuntur, optime aqueis adduntur subacida, quae omni putredini resistunt, & optima contra sitim, ab hac causa ortam, sunt remedia. Hinc succus Citri, aurantiorum, cerasorum, ribesiorum &c. aquosis miscentur tanto cum fructu, & in febre sitientes avidissime haec expetere solent.* Verum quae diximus de congruo Limoniorum succi usu in Tertianis febribus spuriis, quae, ob graviorum symptomatum comitatum, Perniciosae vocari solent: ea quoque continuis acutis (quae vel a bile fiunt, vel ob ejusdem humoris specialem aestum eo magis infensae evadunt) atque maxime Tertianis exquisitis, quas puras dicit *Ebembitar*, aptari merito possunt. Etenim in hisce omnibus febribus magnus adest bilis, aut aliorum etiam humorum aestus, tumultus, & lucta; cui optime,

(66) Van-Svvieten. Com. in Aphor. Boerhaav. §. 605. &c. & 640.

optime, prae aliis, succus iste, opportune usurpatus, opitulatur. Quid? quod si concedamus, eumdem hunc succum (67) ita valere in Intermittentibus febribus, ut ille per se, cum aqua epotus, tanquam efficax praesidium haberi debeat, ad eas penitus evincendas: quod mirum cuique videri poterit.

In omnibus itaque biliosis febribus, cum acida quaeque remedia, ob allatas rationes, utilia videantur esse, velut ea, quae praecipuis tunc satisfaciant indicationibus, hoc maxime de Limoniorum succo verum esse comperitur. Qua sane methodo eo fidentius imposterum uti nullus dubitabo, cum, praeter tot alios saniores Viros, in hoc mihi faventes, eruditissimus *Tissot* (68) se nuperrime prodiderit; qui, simulac speciales observationes suas in medium adduxit, meas quoque ob oculos habere, easque haud parvi facere, non recusavit. Quandoquidem vero Clarissimo huic Auctori me debere candide fateor: at aequo animo ferre non possum, quod ipse ibidem statuerit, in hujuscemodi curationibus, *unum esse tamen mihi familiare remedium, quod in usum vocare, sacrum semper* ipse habuit, *Oleum* nempe *Amygdalarum dulcium*; perinde ac si uti alios *Medicos Italos*, ita & me ejus *usui addictum* supra modum esse censeat. Numquid merito egregius *Tissot*, me huic remedio nimis *addictum* judicet, dum eidem revera me vix quadantenus, seu in aliquibus circumstantiis tantum, favere, quotquot apud Aegrotos mecum consilia inire, & scripta mea evolvere, atque demum ex Cathedra me disserentem audire, semper contigit, ii omnes uno ore publice fatentur? Si quid unquam in iis, quae ad Medicinam faciendam pertinent, Italorum quorumdam opinionibus me oppositum

 demon-

(67) Abreg. de toute la Medecin. Pratiq. Tom. 1. Chap. 1. §. 2. Artic. 54.

(68) S. A. D. Tissot Med. Doct. de febribus biliosis pag. 52.

demonſtravi, in hoc quidem eſt: quod ſcilicet in hujuſce remedii *adminiſtratione* (uti alias innui) (69) *cautus magis, quam alii, eſſe* conſueverim: *id, quod ſpeciali diſſertatione aliquando melius oſtendam*. Dixi Oleum Amygdalarum dulcium tunc omnem mereri laudem (70), cum urgente purgandi neceſſitate, & *contractis nimis exiſtentibus ſolidorum fibrillis, timendum merito eſt, ne purgantis cujuſvis vi, in violentiores contractiones ipſae redigantur, propter quas, impedito ſucceſſive fluentium humorum motu, eorumdem poſtea ſtagnationes, & inflammationes eveniant; quod a purgantium validiorum uſu eveniſſe, non ſemel novimus*. In hiſce circumſtantiis, quis, obſecro, negaverit, quod, ſi *materia turgeat, optimum, & neceſſarium conſilium* ſit, ad illud *confugere, quod ſimul & humorum tenuiorum aeſtum, eorumdem minimas particulas irretiendo, compeſcit, & ſolidorum ſimul corrugationes, laxando, mirabiliter tollit*. Paulo tamen poſtea ibidem docui, quod perſaepe inutile evadit remedium hoc, quotieſcunque, ob ſpeciales Aegrotorum diſpoſitiones, idem prorſus eſt eo uti, *ac morbum ſuaviter, & blande lenire, ſeu melius tantum titillare*, & incaſſum agere. Ego quoque inſuper novi, atque in operibus meis oſtendi, quod non adeo fidere huic Oleo debemus, cum ſuapte natura vere leniens ſit, & laxans, neque quidquam irritans. Eam enim blandam vim ſuam eo uſque illud ſervat, quo uſque rancidum non evadat. Ranceſcit autem facile ope caloris, atque illius maxime, quo febricitantium viſcera ſummopere pollent. Ne vero ranceſcat, omnem adhibere debemus operam, ut quo citius fieri poſſit, injectis Clyſteribus, eliminetur, anteaquam

lenie-

(69) Continuat. Epidem. Crem. Conſtit. Sec. 2. cap. 4. §. 82.

(70) Medicin. Rationalis Sec. 3. cap. 2. §. 341.

lenientem vim suam amittat, ideoque noceat; (71) tunc cum scilicet *pejora ab usu hujusce olei incommoda Aegrotis supersunt, quam a mitioribus purgantibus*. (72) Sed in hisce non amplius fas est immorari, quae tamen sufficient, ut ipsi Clar. *Tissot*, aliisque, qui, cum eo, de me pari modo senserint, obiter ostenderim, quod ego, si quis alter, Olei usum, multiplici ratione, raro tutum, & utile evadere posse arbitror, atque praecipue in Aegrotis illis, in quibus bilis, & alii quilibet aestuantes dominantur humores.



(71) Medicin. Rat. ibid. §. 344. & 345.
(72) Continuat. Epidem. Cremon. Constit. Sec. 2. cap. [illegible] §. 45.

CAPUT III.

ARTICULUS VI.

Quod Malorum Limoniorum succus, simulac humores attemperat, insuper incidat, & abstergat juxta indigentiam.



Atis, ut arbitror, in praecedenti Articulo demonstravimus, quod Limoniorum succus oleosam, subalcalinam, inflammabilem, compescit bilis substantiam, & vim, ac eam etiam, quae, occasione morborum, dum intenditur, effraenata usque evadit. Hoc satis est, ut attemperantem ejus facultatem assequamur; quae scilicet non modo bilis, verum etiam lymphae, & aliorum humorum pravas qualitates emendet, atque destruat. In scorbuto itaque, dum acris, imo erodens Lymphae, & aliorum humorum diathesis dominatur, ob quam & solida ipsa exedi, & fluida dissolvi maxime deprehendimus, aeque proderit Limoniorum succus, cum aqua abunde usurpatus. Ita prae aliis existimat *Martinus Lister*, (73) sic animadvertens: *Praecipua autem hujus morbi medicamenta sunt cochlearia, Limonumque, Aurantiorumve succi: & ex hac nota sunt omnigeni fructus, & olera: & quo magis acidi, eo meliores sunt: Hinc acetum quoque, & spiritus Vitrioli valde prosunt.* Ego vero, tametsi & acetum, & Vitrioli spiritum in specialibus hujusce morbi circumstantiis, ut aliquibus occurramus symptomatibus, prodesse sciam: haud in hoc unquam Limoniorum succo

(73) Mart. Lister. Tract. de Morb. Chronic. Exerc. 5.

succo palmam eripiam, maxime quia & abunde, & diuturno tempore exhiberi tunc ille potest, absque ulla noxa, vel ejus etiam suspicione. Nec omittenda hic ea sunt, quae de Citriorum facultate adversus Scorbutum *Lanzonus* (74) scripsit: quippe quod & ipsa ad Limoniorum succum pertinent. Eo itaque teste Auctore concedendum est, Citria mala *in scorbuto praesens esse remedium*, uti *volunt multi. Hinc Belgae*, *quando in alia absita loca navigant*, *ubi tantum non semper scorbutum contrahant*, *praeservationis gratia succum Citri adhibent. Acidum enim volatile Citri corrigit acidum rancidum Scorbuti*. *Geoffroy* (75) quoque probat, quod Citria *insigni donantur antiscorbutica virtute*, *ita ut pro hujus morbi specifico remedio habeantur. Equidem solo succo Citri*, *vel malorum Citriorum esu*, *scorbutici etiam gravissimi sanantur. Eorumdem succo, scorbuticorum gingivae exulceratae, saepius collutae, citissime absterguntur. Batavi certe post diuturniores navigationes in Indiam orientalem*, *aut alia absita loca*, *ubi scorbutum citissime contrahunt*, *statim ac Lusitanas oras attingere possunt*, *& mala Citria*, *vel Aurantia obtinere*, *ab eo citissime liberantur*. Ad quem sanandum morbum si tantum Citria mala valent, id ipsum cum *Bachstrom* (76) de Limoniorum succo dicendum erit: praecipue quia (sicuti supra cum *Listero* asseruimus) quo plus aciditate praestant ejuscemodi fructus, eo magis antiscorbutici ii sunt: atque haec aciditas in Limoniis, quod longe major, quam in Citriis observetur, neminem latet. Attamen etsi, quod ad scorbuti curationem pertinet, plurimum huic succo ego tribuam (ut diu, & abunde cum aqua ebibatur, atque insuper simplex cum alimentis immisceatur): nihilominus haud unquam negaverim, quod potissi-

(74) Joseph Lanzonus Citrolog. Part. 1. cap. 2.
(75) Geoffroy Tom. 2. Mater. Medic. de Veget. Sec. 2.
(76) Jo: Federic. Bachstrom de Scorbuti natura &c.

mum in hoc & Raphano rusticano, & Cochleariae, & Nasturcio aquatico, & aliis hujusce census vegetabilibus, diuturno tempore usurpatis, fides sit adhibenda. Nam ex hisce, vel seorsim, vel junctim a Medico praescriptis, variae fiunt praeparationes, quae juxta peculiares hujus morbi gradus, atque Aegrotorum circumstantias, utiles plurifariam evadunt: de quibus omnibus hic distincte agere supervacaneum existimo.

Attemperantem insuper vim optime exercet Limoniorum succus (dum etiam magis gratam efficit potionem, & nauseam arcet) quotiescunque purgantibus remediis adjungitur: quorum nempe vim tantum abest ut imminuat, vel impediat, quod potius ipsis conferat admodum, ut eadem satis quidem, sed blande effectum suum sortiantur. In illis itaque suavibus potionibus, ex Manna, & Senna confectis, (quas vulgo *Angelicas* dicere solemus) apposite succus iste adhibetur, atque etiam Limoniorum, aut Citriorum fructus ipse. Hujusmodi potio illa est, ab *Hoffmanno* (77) indicata, *qua* (ut ipse ait) *Sacratiss. Romanorum Imperator* (CAROLUS VI.) *sub potu Thermarum Carolinarum utebatur*; hoc modo praescripta.

℞. *Cremoris Tartari drach. duas.*
Solve, & coque in libra una Aquae fontanae, usque ad medietatem: adjice
Mannae electae uncias tres:
Clarificetur albumine ovi, addito succo integri pomi Citrii succulenti: demum fiat parva ebullitio. Coletur denique frigide per linteum album, cui flavi cortices Citri inditi fuerint aliquoties, donec fiat potio clarificata, quae insigni virtute, gratissimoque sapore egregie sese commendavit.

Haud

(77) Frideric. Hoffman. &c. Opusc. Med. Dissert. 3. de Manna n. 39.

Haud absimilis potio illa est, quae passim apud Praeclarissimos Bononienses Professores usuvenit; habitaque fortasse ratione ad illam, quam (ut diximus) CAROLO VI. praescripserat *Hoffmannus*, vulgo *Regia* nominatur: cujus sane sequentes formulas Clar. Medico nostro *Migliavacca* humaniter communicavit Clar. Medicus *Franciscus Maria Galli Bibiena*, Academicus Instituti Scientiarum.

R.
Sennae elect. sine stip. drach. duas.
Limon. in taleolas incis. n. 1.
Aquae Nocerianae uncias octo.
Fiat infusio frigida per noctem:
dein mane coletur, forti expressione,
et colaturae adde Mann. el. uncias duas,
Cremor. Tartari drachm. duas:
Misce, fiat haustus.

Alii alio modo ita parari jubent.

R.
Sennae el. sine stip. unciam semis.
Mannae elect. uncias tres.
Limon. in taleol. incis. n. 1.
Aquae Cichor. uncias sex.
Misce, fiat infusio frigida per horas duodecim,
factaque expressione, & colatura,
serviat pro haustu.

Alii duas, aut tres uncias Mannae electae
solvi, secundum artem, jubent
in sufficienti quantitate decoctionis
cordialis solutivae, cui addunt
cochlear unum succi Limoniorum.

Alii demum quavis alia decoctione, vel aqua utuntur, ut in ea tam Manna, quam succus Limoniorum solvatur, juxta speciales indicationes illas, quibus unquam opus esset

satis-

satisfacere. Ego vero cum multiplici ratione congruum existimem (nisi tamen quidquam in oppositum militet) quod hujusmodi infusio fiat in aqua simplici distillata cum glandibus Persicorum; alia sequenti norma potionem hanc parari utiliter posse puto, ut grata Aegrotis evadat.

R.e Folior. Senn. sine stip.
Cremoris Tartari an. drach. duas, vel duas, & semis.
Semin. Citri, vel Anisor., aut Cinam. contus. scrupul. quatuor.
Aqu. Gland. Persicorum, sine vino distillatae, uncias sex.
Flavedinis Cortic. Limon. incis. drach. duas,
Succi Limonior. recent. unc. unam.
Misce, fiat infusio frigida per noctem, mane coletur cum expressione, & colaturae adde Mannae el. uncias tres:
Clarificetur, & fiat potio.

(*) Nec omittenda hic est alia potio purgans, quam Clar. *Roncallus* (*nonnulla remedia in Gallicis Regionibus frequentiora* referens) in locupletissimo suo Opere *Europae Medicina*, Regi ipsi familiarem esse adnotat: quae hujusmodi est.

R.e *Folior. Senn. drachm. duas*
Rhabarbari,
Salis Absynt. an. drachm. unam.
Succ. unius Citri.
Infund. in aqua fontis,
mane adde Jus Vituli,
Lactuc., Chaerefol., Porcellan.

Betae,

(*) Roncall. Europae Medicina pag. 85.

Betae, Cichorei an. manip. unum.
Mannae elect. unc. duas.
fiat expressio.

Sed haec mihi penitus non arridet; cum minime intelligam, quomodo ea parari potio queat. Quicunque vero purgantes potiones hasce ita effici cum Limoniis malint, ut gratae magis, suavioresque Aegrotis suis fiant, *Aetii* (78) consilio inhaerere mihi videntur: cum ipse imbecillioribus hominibus, imo etiam pueris, hoc modo construi Pharmacum suadeat.

R.e *Citri Corticis, ac Carnis libram 1.*
Aquae sextarium unum cum semisse.
Mellis sextar. semis.
Piperis, Scamon. ana unciam. 1.
Citrum in tenues partes secato, & cum aqua ad tertias coquito, deinde colato, & Mel ad decoctum adjicito, ac coquito ad bonam compagem, & reliquias coctorum Citrorum terito, ipsique arida tenuissime trita inspergito, & ubi simul triveris, coctam illam aquam mulsam adjicito, & unitis utitor, cochlearium unum exhibens.

Jam vero attenuantem, detergentem, ac una incidentem hujusce succi vim aliunde etiam fas est demonstrari, ut eo magis magisque Limoniorum mirae facultates patefiant. Illa vis ex eo praesertim evincitur, quod hujusmodi succus adeo diureticus est, quod non tantum urinas abunde cieat, sed & calculos, arenulasque dissolvat, atque educat: id quod indicasse videtur *Elembitar*, dum viscidos, tenacesque humores ejus ope attenuari, atque expelli, docet. Diureticam vim hanc in Limoniorum succo perspectam, prae aliis, habuit *Riverius*, (79) qui gratam ex eo parari potionem

(78) Aetius Tetrab. 1. Serm. 3. cap. 93.
(79) Lazar. Riveri. Praxis Med. lib. 14. cap. 1.

nem jubet, ex duabus scilicet unciis succi hujusce, totidemque Vini albi generosi, una cum semiuncia sacchari candidi: quae sumatur jejuno stomacho, pluribusque vicibus, uti opus fuerit. Hujusmodi remedium usitatissimum ipsi fuit ad detergendos Renes, & Vesicam a mucosis humoribus, atque ad expellendas urinas, & calculos. Ad *prophylaxim* autem in Calculo Renum, inter alia magis temperata remedia, ipse insuper laudat aquam Limoniorum distillatam: quae fit ex Limoniis integris, in taleolas postea incisis, & Mariae Balneo distillatis: cui etiam remedio, ut magis attemperans evadat, addit praeterea Lac, ut una distilletur. In eundem finem *Ettmullerus* (80) duas uncias hujus succi, cum sex unciis Vini Hispani in secretis haberi censet; cum optime intento satisfaciat. Pariter & diureticam specialem facultatem huic succo inesse, testantur (81) *Castor Durantus*, *Pisanellus*, *&* *Montanus*. Novit etiam *Mangetus* quantum valeat iste succus ad dissolvendos Calculos, eosque cum arenis expellendos: propter quod specialem ipse formulam exhibet, quam in nephriticis affectibus utilem esse putat, eamque hic adnectere congruum duco.

(82) R. *Ligni Querc. rasi unc. I.*
Aq. fontis lib. sex.
Succi Limon. uncias quatuor.
Infundantur omnia per 24. horas supra cineres calidos, postea coque ad tertiae partis consumptionem: coletur, & ejus dosis sunt unciae sex.

Hoc remedium ipse distincte commendat in calida Hepatis intem-

(80) Ettmuller. Op. omnia Tom. 2. in Schroder. n. 190.
(81) Castor Durant. Tesoro della Sanità.
Pisanelli Trat. della natura de' Cibi.
Montan. de Simpl. Medicam. qualit.
(82) Manget. Biblioth. Pharmac. Med. Tom. 2. lib. 12.

intemperie, in ulceribus Renum, in ardore urinae, atque praesertim ad viscidam salsam pituitam a Renibus, & a Vesica educendam. Neque hic omittam *nephriticam aquam*, a *VVolfgango Höfero* (*) descriptam, quae, tametsi Citria mala comprehendat, aeque tamen utilis esse potest, si ex Limoniis, Citriorum loco, confecta sit. Ejus autem haec est descriptio.

℞. *Citriorum quantum placet: abjice, quod intus est, acidum: reliquum rasum, comminutumque stet in vase vitreo 24. horis: post expressionem, ejus*
Recipe libram unam,
Fructuum Alkekengi recentium n. 64.
contus. misceantur, & stent iterum 24. horis simul; dein ex retorta vitrea distillentur per arenam, ut de libra una remaneant unciae novem.
Hujus aquae distillatae unciis duabus, & semis adde
Vini Rhenani unciam unam, & semis,
Sacchari candidi alb. pulv. unciam semis.
M.

Haec est aqua, a Lotharingiae Duce missa Principi Eggenbergico, tunc secreta habita, & Magnatibus in magno usu, & mirabilis etiamnum in expellendo Calculo, si corpus prius Clystere, vel alio leniente pharmaco, purgatum, & illius duo, vel tria cochlearia, ante prandium, & modicam deambulationem, sumpta fuerint. Alias ejusdem census compositas praescriptiones, quae apud Practicos Auctores exstant, addere hic possem. Attamen ego, dum, quo magis simplicia sunt remedia, eo magis iis fidem praestare soleo: simulac diureticam una, & attemperantem vim huic succo, duce ratione, & experientia adscribere malo: ita eos maxime suadeo, qui in Reni-

(*) Volfgang. Hofer. Hercul. Med. lib. 3. cap. 4.

Renibus arenulas habent, ibique vel in Vesica tenaces humores gerunt, aut Ischuriam, Dysuriam, vel Stranguriam exinde patiuntur: quod, caeteris non omissis praesidiis, quae unquam peculiaris morbi ratio poscat, quotidie diluculo, jejuno stomacho, ebibant magnam copiam Tincturae florum, aut foliorum Malvae, addita congrua dosi succi Limoniorum, recenter expressi. Ex hisce autem, qui in terdiu quoque eadem frigida potione utuntur, eo citius, & melius ii sibi prospiciunt, & praecipue cum diu abstineant a Vino. Nam eo modo, dum Vesicae, & Renalium cellularum intimam superficiem omnino detergunt, urinae quoque acrem qualitatem demulcent, eodemque tempore arenulas educunt, impediuntque proinde, quo minus eae, adinvicem coalescendo, Calculos efficiant.

Et quia insuper Limoniorum succus, in ea Tinctura dissolutus, ad tollendam urinae acrimoniam confert, ita *Ettmullero* (83) concedendum est, quod idem succus opem adferat Gonorrhoeae, & valeat, *pro extinguenda nimia venere*. In Gonorrhoea speciatim subdit *Ettmullerus*, quod apud Italos quosdam solet ea potiuncula commendari, quam refert *Sylvaticus*, (84) ceu praestantissimum remedium: cujus haec est norma.

℞. *Aquae. Rosar. unc. tres.*
Succi Limon. unc. unam.
Album. Ovi crudi n. 1.
Misce, ut hauriatur quarta qualibet die.

Claudinus (85) etiam Limoniorum succum adhibet ad sanandam Gonorrhoeam, ac una animadvertit, quod iste succus valet *in semine absumendo, sicuti & succus Citri: nam copiosum semen*

(83) Ettmuller. Op. omnia Tom. 2. in Schroder. n. 190.
(84) Sylvaticus Centur. 4. Observ. 1.
(85) Jul. Caes. Claudin. Empiric. Tom. 2. lib. 4.

semen mirifice minuunt. Quamborem in ejus usu cautum esse debere Medicum, ita docet *Rhodius (86): Succo proinde Limonis acidi, quamvis magni sit usus ad Ischuriam, a Pituita crassa, & Gonorrhoeam sistendam, caute utendum, ne, venere extincta, sterilitatem inducat*. Itaque si ea pollere vi succum hunc concedamus, ut *copiosum semen minuat*, atque ut *venerem extinguat*; hinc facile erit deducere, quod congruum ipse praesidium faeminis adferre queat, quotiescunque eae, Aphrodisio aestu percitae, gravibus hystericae affectionis insultibus divexantur, imo Uterino furore laborant. Tunc enim aestuans, ac summopere mobilis, qui ab Utero procedit, humor, & in aream circulationis cum sanguine abiens, Oeconomiam animalem totam pervertit, non aliter melius attemperari poterit, quam Limoniorum succo, saepe cum aqua usurpato. Siquidem ob eamdem rationem, propter quam adnotavimus supra, quod Limoniorum succus, biliosum attemperando humorem, Irae furorem compescat; ita & de aphrodisia edomanda passione sentiendum est, quotiescunque ea ab analogis furentibus humoribus illis excitetur, quorum ideo vim enervare maxime poterit acidus iste succus, ne tam graves inde fiant turbae, ratiocinium quandoque ipsum perturbantes. Ex hoc ipso facile cuique erit deducere, cur nam *Ebembitar* existimet, quod Limoniorum succus prohibeat *ebrietatem, quando sumitur post vinum vicibus pluribus*. Eadem enim, & longe major, huic succo in hoc facultas adscribenda esse videtur, quam aceto; cui alioquin, ad ebrietatis tollendos effectus, plurimum tribuebant Veteres Medici, imo & ad acuendum appetitum; quae opinio nostro adhuc aevo communiter viget. Jure ideo meritoque ita ad rem nostram monet (87) *Cato. Si voles in convivio multum bibere, coenareque libenter, ante*

coenam

(86) Jo: Rhod. analect. & not. in L. Septalium.
(87) Cato de re Rustica.

coenam esto crudam, (brassicam) *quantum voles, ex aceto. Et item, ubi coenaveris, comesto alia quinque folia, reddent te, quasi nihil ederis, biberisque, bibesque quantum voles*. Ex quo fortasse mos praecipue penes Germanos invaluit, ut acescentibus brassicae foliis in prandio summopere delectentur; quem cibum *Saver Kraut* appellant. Siquidem (ut *Baccius* (*) inquit) *altius haeret causa, quî brassica hanc habet antipathiam cum natura Vini*, Agricolarum testimonio, *Theophrasti, & Plinii, ut sata in Vinetis ipsas labefaciat vites; unde consentaneum sit, quod brassicae qualitas sic vini in stomacho distrahat vapores*. Utcunque autem quis credat, quod brassica, juxta specialem qualitatem suam, vino sese opponens, ejus vim imminuat: in casu nostro verisimilius existimo, quod, dum hinc genitae ebrietatis sedantur effectus, id aut adjuncto ipsi aceto, aut acquisitae a brassica aciditati, potissimum adscribere liceat. Quandoquidem (88) *Natura ipsa docet, quod post crapulam, aut copiosum potum spirituosorum liquorum, quae sanguini aestum, & quasi effervescentiam conciliant, nil magis, quam acida, Ebriosi appetunt*. Cum ergo inter acida quaeque, veluti attemperans maxime, atque refrigerans Limoniorum succus, ex dictis, habendus sit; necessum erit arabico Auctori nostro concedere, quod Ebriis hominibus ille congruum adferat praesidium.

Generatim ideo Limoniorum succus in sanis etiam Hominibus omnino conveniens erit, utpote Bilis praecipue, nec non aliorum humorum effervescentiam, & acrem indolem infringens. Cumque hujusmodi aestus humorum Aestate longe saepius, & vehementius patiamur: eo tempore tali uti remedio liberalius possumus. Ex hoc enim succo, cum aqua simplici frigida, &, si lubeat, glaciata etiam, suavis, & perquam grata paratur potio, quae in usum

(*) Andr. Baccius de natural. Vinor. orig. lib. 3. cap. 19.
(88) Jo: Frideric. Bachstrom. de Scorbuti natura.

usum frequenter revocata, optatum nobis adferens refrigerium, prae aliis, plurimi aestimatur; & maxime quia urinas blande ciet, earumdemque fervorem extinguit: quod admodum tunc temporis interest, quando, caeteris paribus, illud, quod a Vesica prodit, serum, juxta uberiorem perspiratum, tam copia deficit, quam crassius est, magis coloratum, & magis urens. Utque nihil circa hoc omittam, quod hominum bono magis conducat, addam ultra, quod potio haec, ex eo succo confecta, magis prodest, si sine saccharo usupetur, aut saltem (nisi aliter delicatulis possimus satisfacere) modica tantum sacchari copia ipsi adjungatur. Enimvero saccharum attenuantes, & penetrantes succi moleculas quadantenus devincit; adeo ut altius se se insinuare, seu minimos remotiores recessus subire, eae neutiquam, vel saltem non aeque libere, citoque possint. Ad id conferet quoque magis succus ipse, singulis vicibus e Limoniis in aqua expressus: quam si, ita antea parata, haec aqua diu asservetur, propter quod mobiliores, magisque fragrantes moleculae dum avolant, ejus sapor immutatur admodum, & pari proportione vis diminuitur.

Denique cum ex hisce omnibus evincatur penitus, attemperante aeque, ac incidente, & detergente vi Limoniorum succum praeditum esse, propter quod varias inde nanciscitur facultates: hinc quoque modus innotescet, quo in humoribus, atque in partibus praecipuis, & organis Corporis eos praestet varios effectus, quos hic observandos nobis summatim *Ebembitar* proposuit. Ejus quippe adminiculo ideo cessat aestus, & tumultus in humoribus, quia volatiliores particulae sedantur, aut inertes fiunt magis: ideo vasorum, & Viscerum infarctus, sive mavis, obstructiones tolluntur; quia tenaciorum humorum, illuc fluentium, strictiores solvuntur nexus, ac illi propterea

magis idonei ad motum efficiuntur. Si Ventriculus praesertim, aut Inteftina lymphatico, vel alio quovis glutine graventur, ab eo liberantur protinus; dum hujus fucci ope ii attenuantur humores, eademque proportione follicitati ad motum, ita urgentur, ut, aut per fuperiora, aut per inferiora liberum magis obtineant aditum. Quae porro falutares, & variae iftius remedii vices, aliaeque inde fortaffis occurrentes, actiones, quae aliquando pene oppofitae videntur effe, ne cuipiam admirationem, plus quam par eft, moveant: eae omnes, inquam, *Nigrifolii* teftimonio (89) ita erunt confirmandae. Succi Limoniorum, & Citri, *cum diverfis facultatibus praediti, & donati fint, prout diverfas poffident qualitates, tenuitatem nimirum, frigiditatem, & ficcitatem, diverfos etiam poffe producere effectus, haud repugnat, nec eft a ratione alienum. Prout enim tenuis funt fubftantiae, humores craffos incidunt, attenuant, aperiunt, ac detergunt, & ita dejectiones humectare poffunt, ac ventrem fubducere, ut docuit Galenus. Prout frigidi, & ficci funt, vomitum fedare, ventrem retinere, ac folutioni cholericae mederi potentes exiftunt, ut placuit Avicennae. Sua enim frigiditate calorem biliofi humoris edomant, atque reftinguunt; unde vis ejus activa, qua Naturam ftimulat ad excretionem, frangitur, & obtunditur, concurrente praefertim vi incifiva; quod voluit fortaffe exprimere Princeps, eo loci fcribens: & acetofitas ejus frangit choleram rubram. Prout Ventriculum, tanquam partem fentientem, tangunt, conftringendo, & contrahendo roborant..... Prout rurfus frigidi, & ficci, ipfum efficiunt, calidam, & humidam ejus corrigendo intemperiem, ut ibidem obfervavit Princeps, magis adhuc confirmant, & ficcitate tandem retentricem ejufdem, ac Inteftinorum facultatem fiftendo, vel fuperfluas humiditates abfumendo, fortiorem reddunt, unde fedatur vomitus biliofus, atque*

(89) Hieronym. Nigrifol. Progymnafm. 2.

atque secessus .... denique in his succis moderata adstringendi potentia eorum penetrationem, vimque incisivam, atque aperitivam, & adjuvat, & magis promovet. Quae omnia quidem credimus evenire aliquando posse in specialibus circumstantiis, atque praesertim juxta peculiares Corporum dispositiones, & varias morborum causas; uti ex aliis, quae dicentur postea, eo magis magisque patebit.



CAPUT III

ARTICULUS VII.

Quod Malorum Limoniorum succus, tanquam Bezahar contra venena, sive tanquam Alexipharmacum remedium, haberi merito debeat.



ANteaquam miram hanc *Bezahartiam* facultatem, quam speciatim Limoniorum succo *Ebembitar* adscribit, explicare aggrediar: aliqua obiter de vero *Bezahar* hic paucis dicam, ut eorum refellam opinionem, qui ipsi passim fidere nimis comperiuntur.

Medicamentum quodlibet, cui Antidoti, seu alexiterii pharmaci vis assignari solet, nomine *Bezahar*, aut *Bezoar*, aut *Bezehard* indicatur: cui proinde potiore jure *Pa-Zahar* nomen adscribitur. Etenim apud Persas (90) *Pa* contra, *Zahar vero* venenum *significare traditur*. Eodem quoque nomine distincte nuncupatur vulgaris ille Lapis, qui summa, prae aliis, virtute pollere creditur, ad venenorum evincendam vim, atque ad malignas omnes qualitates e corpore eliminandas, praecipue vero per cutis meatus. Ejuscemodi duo assignantur lapides, alter nempe, qui animalis; alter, qui fossilis, seu mavis, mineralis dicitur; ac utriusque variae indicantur species, pro varietate animalium, & locorum, a quibus proveniunt. Fossilis praesertim mineram in terra *Syri*, & *Indiae*, & in terris Orientis olim detectam esse, authorante *Serapione*, memorat *Sylva-*

(90) Amalth. Castel. Brunon. Verbo *Bezaar*.

Sylvaticus (91) , ibidemque eum lapidem tanti tunc habitum fuisse testatur, ut Filius *Amamari*, *Custodis Dei*, pro ejus pretio palatium *Cordubae* solverit. Atque ejusdem lapidis genesim ita distincte profert *Geoffroy*. (92) *Ex variis tunicis coagmentatus videtur, quae successive, altera alteri imposita, ex parvo lapidis rudimento calculum tandem formant ad magnitudinem avellanae, nucis juglandis, vel etiam ovi anserini. In ejus centro arenae granulum, vel conchula, vel carbo fossilis nonnunquam reperiuntur*. Is autem *multis in locis reperitur in Gallia prope Monspellium, in Sicilia circa montem Modonium, in Italia in Agro Tiburtino, in nova Hispania in fluvio detzhuatlan, unde maximi afferuntur*.

Quicunque autem de utriusque lapidis viribus loquuntur, miras praecipue commendant facultates, ad venenorum destruendum virus, uti & ad malignas humorum qualitates in quamplurimis morbis evincendas: ita ut tanti a vulgaribus Medicis aestimentur, perinde ac si absque ipsis, nullae prorsus ex hujusmodi curationibus, sana methodo fiant. Hanc tamen opinionem, aliorum etiam fretus judicio, velut erroneam refellit *Schurigius* (93) : eo quia plerumque lapides isti factitii venditantur: &, quamvis genuini sint, uti *Caput mortuum* ii pene audiunt; cum nec odore, nec sapore, nec aliter alexipharmacae penetrantis, & incidentis facultatis ulla vere proferant signa. Quapropter eorum usum prorsus vanum esse censet praelaudatus celeberrimus (94) *Van-Swieten*, hisce verbis. *Pretiosissima illa remedia ex porcino lapide, Bezaar &c. nihil efficere valent, quamvis adeo laudentur a multis: interim tamen, ne aliquid negligi videatur apud divites, simillima*

(91) Matthaeus Sylvatic. in Pandect. cap. 398.
(92) Geoffroy Mater. Medic. Tom. 1. Part. 1. Sec. 3. cap. 4.
(93) Martin. Schurig. Litholog. cap. 9. §. 37.
(94) Van-Svvieten Com. in Aph. Boerhaav. §. 634.

ua dari possunt, modo his non confidat quis, & alia efficaciora longe remedia negligat.

Ast in hisce, quae ad Chymaericam Lapidis Bezahar facultatem pertinent, haud amplius immorandum nobis est: cum ea in propositum nostrum fas sit referre, quibus ad *Ebembitar* mentem ostendam, curnam apud Indos praesertim habita tanti sint Limonia mala, ut in ipsis (95) *plus praesidii ponant, quam in Lapide Bezahartico, aut Theriaca, contra malignos morbos, & pestilentes Febres, atque ipsa venena: sicuti testatur Piso Batavus, in rebus Naturae exoticis, siquis alius, versatissimus.* Cum autem Limoniorum succum, ob duplicem rationem, bezahartica pollere vi doceat *Ebembitar*: quid utique eo fidere Medicus debeat, distincte modo patefaciam. Agam itaque primum de iis *interficientibus Medicinis*, quae, cum Arte sint paratae, vim suam, & agendi modum in propatulo magis ponunt; unde & facilius nobis captu evadit, cur praecipue Limoniorum succus eorumdem deleteriam vim infringat, imo & penitus destruat. Verum quia modo factitia venena haec consideranda assumimus, ea data opera omittimus, quae, veluti ridicula, a *Valisnerio* habita, *Joseph Lanzoni* (96) recenset. Hujusmodi autem est *Acqua*, vulgo dicta, *della Martelosa*, *Acqua della Palermitana*, *Aqua, manus lavans, & occidens, odor in strophiolo, in candela*, & alia quaevis similia. Cum enim *aliquibus istorum venenorum capita, caudae, & fel viperarum ingrediantur, illa tanquam erronea, & vana irridet citatus D. Valisnerius: quia caput, fel, & cauda viperarum venenata non sunt, quemadmodum notavit etiam Illustris Redi in suo Libro, de Viperis: imo pro veneno bufo ipse non agnoscitur, a superlaudato Valisnerio; quia ille se observasse fatetur*

(95) Martin. Lister Tract. de Morb. Chronic. Exerc. 5.
(96) Joseph. Lanzon. Op. omnia Tom. 1. cap. 118.

fatetur, Milites Germanos sub Scandiano comedisse innoxie bufones.

Verum quo magis innocua putantur esse factitia haec, atque alia ejusdem census venena; eo magis infensum evasit illud, quod vulgo *Acqueta* nominatur; cujus quoque ibidem meminit *Lanzonus*, qui id ipsum communicaverat *Mangeto*, ficuti patet ex ipsius operibus. (97) De hoc quoque veneno distincte egit *Fridericus Hoffmannus*, (98) tanquam de eo, *quo Veneficae quaedam Romanae sub Alexandro VII. gravem stragem ediderunt*. Ibidemque praeterea, teste celebratissimo *Garelli*, *Caroli VI. Imperatoris* Archiatro, animadvertit, quod hoc *lentum* venenum est, *quo famosa Venefica, in carceribus Neapolitanis* tunc vivens *in sexcentorum perniciem usa est*: quod insuper venenum *idiomate Neapolitano Acqua della Toffnina* vocari solebat. Quomodo autem subdolum venenum hoc conficiatur (etsi alii, variis tamen formulis, candide fortasse nimis, id typis evulgare non dubitaverint) ego quidem silere malo: eo dumtaxat contentus, ut, ejusdem attenta speciali operandi vi, cuique ostendam, qua ratione Limoniorum succus, (uti aliis plurimis) ita & huic praesertim opem facile, tutoque adferre valeat: dummodo congrua methodo, nec sero nimis usurpetur. Hujusmodi aquae corrosivam inesse vim, ob quam venefica efficacissima qualitate praestat, ex eo prorsus evincit *Lanzonus*, quod ab ea causticum paratur remedium, *quo parti animalis viventis admoto, loco cauterii, utuntur*: cui quidem infensissimae tollendae vi, tanquam omnium insignius pharmacum, commendat succum Citri, aeque ac Limoniorum; licet ego hunc illi praeferendum esse putem, cum

G 4 eo

(97) Manget. Biblioth. Med. Pract. Tom. 4. lib. 18.
(98) Frider. Hoffman. Med. R. Systém. Tom. 2. cap. 2. n. 19.

eo acidior, & penetrans magis ipse sit. Quod si corrodentem hujusce veneni actionem quis adamussim consideret, facile erit morbosa quaelibet ea phoenomena explicare, quae inde oriuntur. Isti vero pravi effectus modo cito, modo sero apparent, intensioresve, vel leviores sunt, ideoque citius, aut tardius necem adferunt, vel aliter quocunque modo variant, & nocent, juxta diversam exhibiti hujusce veneni copiam, vel repetitum usum; aut demum pro varia norma, qua illud utcunque confectum sit. Utplurimum tamen, ad illud praeparandum, eam scelesti Homines normam servant, ob quam teterrimum hujusmodi venenum non illico suos effectus prodat, sed clanculum, atque paulatim operetur: quo quidem modo omnis propinati jam veneni, suspicio evitatur: quippe quod illi, qui eo fuerunt infecti, nihil pene se inde laedi animadvertunt. Secus autem fit a violentis venenis aliis, quorum maxime cum vehemens sit actio, atque praecipue circa Ventriculum, & Intestina, graves illico suscitantur cardialgicae passiones, & aliquando vomitus, & Intestinorum cruciatus, perinde ac si eorum fibrae vehementer distrahantur, imo lacerentur; praeter laboriosam anxietatem, aliaque symptomata, quae ob specialem cum Stomacho, & Intestinis consensum, ab affectis partibus aliis originem habent. Eaquepropter assumpti veneni illius facilis tunc conjectura se prodit. Ideo, cum aliquotab hinc annis ad invisendum Juvenem quemdam accersitus essem, qui, nulla alia praegressa congrua causa, summis Abdominis cruciatibus extemplo correptus erat, irrequietus factus, ac undequaque per lectum sese jactitans, tumente alternatim, contractoque, & mox depresso supra modum Abdomine, cum anxietate summa; statim vehementis assumpti veneni certa signa demonstravi. Neque fallax suspicio evasit. Etenim, irritis evadentibus remediis omnibus,

nibus, eo post sexhorium miserrime mortuo, ejusque secto cadavere, lacerata penitus, & discissa undequaque Intestina reperi, cum inflammatorio universali rubore, quo insuper Ventriculus undique fuerat infectus, effuso quaquaversus sanguine tam in Intestinorum cavum, quam in Abdominis universam regionem. Quia tamen violentissima venena haec statim summa procreant symptomata, quae pro speciali sua indole, & agendi modo, saevissimum virus illud citius patefaciunt; ideo & facilior, & tutior curatio tunc habetur: dummodo quo citius fieri queat, tam per superiora, quam per inferiora, venenum ipsum educere quis satagat, anteaquam aut Ventriculi, aut Intestinorum tunicae laedantur quidquam. Atque in hisce circumstantiis, si quae adsunt efficacissima emetica remedia, vel purgantia, ea statim sunt in usum revocanda: ut nempe earum partium cavitates a virulenta materie liberentur, atque etiam tenuiores ejus moleculae, si quae forte earumdem rugis, & plicis infixae sint, inde citissime detergantur. Hac autem ita facta congrua purgatione, praesto sint juscula, vel oleo, vel butyro recenti abunde referta, tum & lac ipsum, & farinosa, & glutinosa omnis generis edulia, nec non alia ejusmodi, ut illico, copioseque propinentur. Ita enim erodentes (si unquam supersint) veneni moleculas colligare, diluere, attemperare, ac tandem per Alvum educere omnino possumus: ad id etiam conferentibus lenientibus Clysteribus, uti opus sit, identidem injectis. Congrua itaque hac methodo festinanter instituta, simulac virus illud violentum cito educere, atque compescere quaerimus, opportune quoque cavemus, ne ejus minima frustula, seu mavis spicula, venas lacteas ineant, & inde in aream circulationis cum sanguine devecta, partes quoque alias, & organa, in intimis corporis recessibus,

laedant

laedant, aut vexent. Quamobrem in enarrato casu, cum ad eum invisendum Juvenem sero nimis vocatus essem, tunc scilicet cum Stomachus, & Intestina intime jam labefactata erant: eo magis dolui, quod nulla amplius exhibendi purgans subesset indicatio, dum solutae jam fere penitus vires id amplius non permittebant: unde & incassum alia quaeque praesidia fuerunt usurpata, sine ullo nempe levamine.

Verum, ut ad propositum nostrum accedamus, exinde deducimus, quod ea praesertim adsit differentia inter violenti efficacioris veneni, & alterius lenti actionem; quod illud, ceu vehementer agens, citius se se patefaciat, atque proinde facilior initio curatio evadat. Contra vero lentum venenum quodlibet, etsi inducias Medico concedat, sero plerumque cognoscatur, tunc scilicet, cum, altis, ut ajunt, actis radicibus, nullam amplius curationem admittit. Ex quibus insuper evincitur, quare nam longe major, quod ad diagnosim, Medici sollicitudo necessaria sit, cum de lentis potius, quam de violentis venenis agitur: uti potissimum de recensito veneno, *Acqueta* nuncupato, verum profecto est. Interest quippe maxime, quod accuratus Medicus quaeque tunc ob oculos habeat accidentia, quae ab eo distincte procedunt; ex quorum scilicet indagine tutius de illius existentia judicium prodeat, ita ut curatio congruo perficiatur tempore.

Antequam itaque curationem, veneno huic evincendo aptam (quam sane Limoniorum succus magna ex parte complet) hic raptim indicem: operae pretium fore censeo, quod, attentis symptomatibus illis, quae inde plerumque suboriuntur, adferam signa, assumptum venenum hoc subsequentia: quae tamen non eodem modo in omnibus apparent, imo variant, pro diversa agentis veneni intensione, atque dispositione affecti corporis. Imprimis vero

tanquam

tanquam erroneam, & commentitiam eorum opinionem habendam esse arbitror, qui pro certo habent, quod dosis, & praeparatio hujusce veneni concinnari ita possit, ut, ne dum insensum plus, minusve illud evadat, sed etiam dato tempore (pro lubito offerentis) necem adferat. Equidem concedo, quod major, aut minor dosis veneni istius (sicuti si minus, aut magis dilutum sit, atque magis, minusve caustica vi polleat) magis, aut minus gravia symptomata adferat, ideoque vel citius, vel tardius interimat. Quod autem statuto primum tempore, & non alio, nefarium compleat adamussim opus, uti fabulosum rejicio. Nam utcunque quispiam in hisce sit expertus; ita ut modum agendi, & vices quascunque veneni hujusce perspectas omnino habeat; vix eo unquam adduci potero, ut credam, speciales circumstantias eorum, qui id assumunt, nihilum obstare posse, quin ejus actio quomodolibet immutetur, retardetur, aut alteretur. Atque hoc eo fidentius asserendum esse censeo, cum agatur non de violento veneno, quod citissime, vehementerque operatur; sed de lento, cujus videlicet actio ad hebdomadas, & menses, & ultra etiam protrahi deprehenditur.

Nulla proinde habita ratione circumstantiarum quarumvis, quae in eo maxime (cui propinatum hoc fuerit venenum) sint unquam considerandae, propter quas ejus actio diversimode se habeat; praecipuus in omnibus effectus est universa Corporis consumptio, paulatim oborta. Ea vero sine ulla manifesta causa incipit, atque successive crescit: quippe quod nullus ex iis praecesserit morbus, aut Animi diuturnum, & grave pathema, ex quo Tabes persaepe evenire observatur. Anteaquam tamen inde contabescat Corpus, utplurimum recurrentes in Abdomine leves accidunt dolores, aliquando graviores,

juxta

juxta modum, quo venenum operatur, aut dispositum Corpus illud est: eaque occasione non raro Alvus solvitur. Exinde, insinuato magis ad interiores partes veneno (quod modo citius, modo tardius fit) sanguinis motus concitatior efficitur; unde frequens, & inaequalis eadem proportione pulsus redditur, perinde ac si lenta hinc oborta febris esset; maxime quia acris calor, plus, minusve intensus, Corpus universum exagitat. Hisce insuper accedunt vigiliae, inappetentia, nec non insignis ardoris sensus circa Stomachum, qui speciatim invalescit a pastu. Bonus interim Corporis habitus immutatur, adeo ut Cachectici fere Aegroti reddantur, atque etiam Icterici. Animus ipse hinc quoque patitur: unde affecti Homines isti, sine manifesta causa, vel moesti evadunt, vel facile nimis in iram concitantur, neque facile quiescentes, quod ad omnia irrequieti fiunt. Hinc praeterea, dum nervea quaevis stamina summopere patiuntur, decrescunt vires, atque etiam universi Artus variis contremiscunt modis, imo & in motibus suis languent. Aliquando vomitu ii laborant, atque praesertim jejuno stomacho, acidamque tunc, vel amaram, vel alterius pravae indolis lympham educunt, atque male olentes non raro flatus eructant.

Praecipua haec sunt symptomata, quae veneni hujusce actionem consequuntur; quae tamen (ut innuimus) quod ad intensionem, durationem, complicationem, & procedendi normam, variare comperiuntur, pro diversitate laesorum inde Corporum, & dosi simplici, vel iterata veneni ipsius: unde fit etiam, quod ea citius, aut tardius eveniant. Quas quidem vices, uti experientia, ita & ratio ipsa verisimiliter comprobat: congrua servata analogia quorumlibet aliorum accidentium, quae a violentis venenis oboriuntur. Habita enim ratione

corro-

corrodentis facultatis, qua venenum hoc, ut diximus, revera pollet; facile intellectu erit, cur minimae ejus moleculae Stomachi, & Intestinorum parietes irritent, atque discindant, sin minus abradant: eaeque in aream circulationis adactae, una sanguinis, bilis, lymphae, aliorumque quorumvis humorum diathesim solvant, alterent maxime, imo penitus immutent: id, quod sufficit ad recensita producenda, & explicanda symptomata. Ideo autem veneni hujusce actio (secus ac in violentis aliis evenit) non illico Ventriculum, & Intestina graviter vexat, aut lacerat, unde nec gravia in illis partibus phaenomena excitat: quia dilutum in aqua illud est, ideoque citius inde secedit, absque quod earum partium plicis, & rugis tenaciter adhaerescat. Idcirco, cum nulla plerumque assumpti veneni tunc emergant signa, vix quidquam solliciti sunt Medici, ut eidem congruis pharmacis illico obviam ire satagant. Quotiescunque vero notas ipsius aliquas quis consideret, ac una pateat, hinc Ventriculum oppressum, gravatumque esse; statim is intelligat, & superius, & inferius Aegrotum purgandum fore, nec non efficaciter, usque dum venenum illud e Stomacho, & Intestinis eliminatum sit. Addantur postea juscula oleosa, copiose exhibita, nec non alia quaevis glutinosa, attemperantia, sicuti occasione violenti veneni praestandum esse supra monuimus: adeo ut, quae unquam supersint, assumpti veneni moleculae corrigantur, devinciantur, atque demum expellantur penitus. Prae caeteris autem diluentibus, & attemperantibus, ad quae subinde confugiendum tunc erit, succus Limoniorum, abunde assumptus, omnem adimplebit paginam: quippe quod ipse (docente *Ebembitar*) a tota, ut ajunt, substantia eidem resistit, cum *Bezahartica* revera polleat vi. Quamobrem diluculo, & interdiu frigidam saepe ebibant aquam, in qua

tanta

tanta copia ſucci Limoniorum, abſque ſaccharo, fuerit recenter expreſſa, quanta ſufficiat, ut ſatis acida ea fiat. Idem ſuccus cibis etiam quibuslibet erit immiſcendus; uti Hominum eorum Stomachus, abſque damno, ferre poſſe tunc videatur. Aſt nec vini uſus proſcribendus omnino erit, dummodo ſit meracum; & aliquando tunc generoſum, & aromaticum ſeligendum eſt, quotieſcunque, praeter alia ſymptomata, Stomachus hinc maxime fuerit laſſatus, adeo ut metus ſit, ne hinc Lipothymiae proveniant. Hujuſce vero ſucci uſus quo diutius ita tunc protrahitur, eo melius Aegrotorum valetudini conſultum eſt. Quod ſi eo tempore, quo ſuccus iſte adminiſtratur, aut ſtiptica ſit Alvus, aut eae, quae per ſeceſſum prodeunt, materies acres adeo ſint, atque pungentes, ut inde ardores, & premitus eveniant; hiſce vel purgantium congruorum ope, vel attemperantibus, detergentibus Clyſteribus, ſaepe injectis, ſuccurremus. Atque pari methodo Limoniorum ſuccum hunc praeſcribere poterimus, etiamſi diu antea propinatum hoc fuerit venenum, ita ut omnes id agnoſcere non poſſe videantur. Animadvertent hoc illi maxime, qui ad recenſita ſupra ſigna mentem intenderint: quae ſi quis unquam evenire noſcat, ad hunc ſuccum confugiat illico, prius quam ea labes altas, ut diximus, radices agat. Ex quo quiſque intelliget, quam utile ſit, ea ſupra recenſuiſſe ſigna, quae hujuſce veneni notas adferant, tunc etiam cum blande ita agat, ut non ab omnibus cognoſcatur. Siquidem eo modo, dum cauſa morbi nobis innoteſcit, in promptu hoc eſt efficaciſſimum praeſidium, ut a longe imminentem avertamus necem. Quamvis autem & in hoc, & in aliis quibuſvis venenis concedendum ſit, nos, quo citius antidotum adhibetur, eo tutius, & funditus optatum ſortiri effectum: attamen, experientia teſte, evincitur, quod ſuccus iſte, eo, ut

diximus,

diximus, modo usurpatus, admodum prodest, etiamsi aliquo antea tempore quis iis fuerit infectus. Etenim hoc remedium pravam inde genitam sanguinis diathesim, si quod aliud, omnino tollit, aut saltem summopere emendat.

Hujuscemodi methodo memini me, aliquot abhinc annis, Dynastam quemdam magni nominis curasse, cui lentum hoc venenum ante plures hebdomadas fuerat propinatum. Ille enim, cum initio doloribus Stomachi, & Intestinorum vexatus esset, etsi quoquo modo curatus, haud hinc tamen omnino convaluerat. Etenim tunc cum ego ipsum invisi, lenta aderat febricula, cum parvo, duro, frequenti, & inaequali pulsu, virium solutio maxima, inappetentia, Ventriculi ardor, praecipue post assumptum cibum, tremor artuum, inordinata, & vehemens in iram concitatio, Alvi frequens stipticitas, universi corporis tabes. Irrequietas fere quotidie transigebat noctes, habituque corporis ad Cachecticum vergente, Ictericus fere semper erat, ac una Oedematoso tumore affecta cernebantur extrema pedum. Huic itaque ut opem adferrem (cum jamdiu assumpti lenti veneni patuissent signa) praevio congruo purgante, iterumque per epicrasim (ut ajunt) soluta exinde leniter Alvo, ope tincturae Rhabarbari, atque etiam Tettutianae mineralis aquae, non omissis identidem lenientibus Clysteribus, ut opus erat, tandem Limoniorum succum copiose, & saepe cum aqua communi ebibendum jussi diuturno tempore. Quod porro fausto cessit omine, cum ipse imminentis jam mortis periculum post aliquot hebdomadas effugerit, atque demum, Chalybeatis utens remediis, omnino convaluerit.

Quomodo vero subdolum veneni hujusce lenti virus varias adeo excitet morbosas affectiones, quippe quod intima quaeque Corporis penetralia subeundo, tam fluidorum

rum crasim alteret, atque pervertat, quam solida quaeque irritet, atque distorqueat; ex eo quadantenus per analogiam assequimur, quod ex Mercurii actione evenit, tunc cum in celtica praesertim lue usurpatur. Ejus quippe tenuissimae, & irrequietae maxime particulae, cum sanguine quaquaversus delatae, ita fluida perturbant, exagitant, concutiuntque, ut eorum diathesim immutent penitus. Idcirco in parietes Cordis, & arteriarum irruendo, eorumdem vim contractilem perturbant, atque augent, & absque ordine sollicitant; unde & pulsationum rithmus aequa proportione acceleratur, incongruusque fit, tunc cum & alia solida proinde afficiuntur. Ita pariformiter quod suo modo agat venenum hoc, fas erit opinari; dum illud non tantum primas, ut ajunt, Abdominis vias adoritur, verum etiam in intimiores partes vim suam exerit, ad enarrata suscitanda symptomata. Quaenam vero specialis Limoniorum succo tribuenda sit facultas, (ob quam virus illud infensissimum edometur, imo destruatur), haud adeo facile explicabimus, nisi acidam ejus peculiarem qualitatem attendamus, quam revera in plerisque remediis (quibus contra venena prisci quoque utebantur Medici) adesse deprehendimus. Quod si praeterea aliam ad hoc peculiarem qualitatem in succo Limoniorum considerare quispiam velit; uti nec ipsi me quidquam opponam, ita & candide fatebor, eam mihi penitus ignotam esse. In hoc enim illud ipsum dicere non erubescam, quod de Chinae Chinae actione, ad Intermittentium febrium fomitem enervandum, solemus asserere; quod scilicet speciali qualitate ea agat, quam explicare nemo adamussim valet. Ita & *Lanzono* teste (99) urina, & saliva jejuni Hominis utilis dicitur, ad eas tollendas

(99) Joseph Lanzon. Op. omnia Tom. 2. Observ. 239.

lendas noxas, quae a Vesparum ictu fiunt. Quidquid itaque sit de genuina qualitate illa, nobis ignota, qua succus Limoniorum vere pollet, ad venenum hoc destruendum; satis utique erit scire, quod revera id praestat, etiamsi modum minime intelligamus: quod insuper & de plerisque remediis verum comperitur esse; uti saniores Practici fatentur.

Verumtamen quia, ut probavimus, tantum valet Limoniorum succus, ad pravam illam a sanguine auferendam qualitatem, quae ab hoc veleno procedit: verisimile quoque erit, quod idem remedium, ad praecavendas opportune noxas hasce, possit usurpari. Nam, cum aliquis abunde succo illo utitur, qui una cum Chylo ad sanguinem transit, ipsum ita disponit, ut, si illi unquam venenum hoc postea fuerit exhibitum, minus sanguinem inficiat, atque ideo fortasse nihil Hominem illum laedat. Etenim tunc praesto sunt antidoti, jam antea assumpti, particulae, quae ipsi summopere resistant. Atque propterea Dynastis, Magnatibus, aliisque conspicuis Viris, qui super alios eminent, suadere soleo, quod quotidie, vix a somno expergefacti, jejuno Stomacho succum Limoniorum in aqua plenis haustibus ebibant, atque etiam interdiu. Quod porro saluberrimum mandatum, ut, quotquot vel divitiis, vel honoribus, vel doctrina, vel insignibus utcunque dignitatibus praestantiores aliis sunt, aut praeesse debent, ii caute, seduloque servent, interest maxime. Eos itaque oro, obtestorque, ut, (tametsi se sanos omnino esse sentiant, aut saltem existiment) suam magis, quam vilium, & rusticorum Hominum vitam in ancipiti semper esse, pro certo habeant, ob invidentium nequitiem. Alioquin enim, nisi ita sui ipsorum, ut opus est, ii curam habeant, ad quid opes, honores, dignitatesve, ut iis crescant, expetuntur, si summa ejus-

modi decora illos strangulant: eo quia tunc magis timenda venena sunt, cum gemmata sumuntur pocula, nullusque contra fictilibus est timor aconiti? Jure namque meritoque ita *Juvenalis* (*)

. . . . . . sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula sumas
Gemmata, & lato setinum ardebit in auro.

Propter quod etiam Seneca monet (**)

Humi jacentem scelera non intrant casam,
Tutusque mensa capitur angusta cibus,
Venenum in auro bibitur.

Quod si unquam ex hisce, qui, prae aliis, faustae sortis bonis utcunque fruuntur, aliquis fortasse sit, cui Invidorum astutae artes minime noceant; non hinc tamen, oro, se ipsum ita negligat, ut Limoniorum succum parvi faciat. Sciat enim, quod illud saltem, ex assiduo hujusce antidoti usu, commodum ipsi certe eveniet, ut sanguinis ii arceantur aestus, sive mavis, compescantur, qui a lautioribus oriuntur mensis; atque potissimum ut illi sedentur bilis furores, quibus omnes, Reipublicae administrandae, gravissimisque gerendis negotiis addicti, magis, saepiusque, quam alii, obnoxii esse solent. Caeterum, quod respicit miram succi hujusce facultatem, ad eludendam Veneni istius, atque aliorum, actionem; eam facilius admittent, qui Chinam Chinam adeo valere arbitrantur adversus Periodicarum Febrium fomitem; ut ne dum inertem eum efficiat, dum Febris viget, sed etiam impediat, ne ille in nobis oriatur utcunque; sin minus non adeo efficax insurgat, sive aptus ad eas progignendas. Ego vero, tametsi id dicere mallem, ut, apta inde petita analogia, explicem, quomodo succi

(*) Juvenal. Satyr. 10. vers. 25.
(**) Senec. in Thyest.

succi Limoniorum antidotum ad praecautionem adhiberi queat: iis tamen haud penitus assentior, qui ad prophylaxim, ut ajunt, Chinae Chinae miram hanc potentiam facile nimis concedunt, maxime quia multi opinionem hanc rejiciunt penitus. Praeterquamquod ea adest inter haec duo remedia differentia; quod, si China China pro praeservatione non prosit, nondum patet, quid aliter boni praestare ea valeat: secus autem succus Limoniorum, etsi ad praecavendam veneni actionem non sufficiat, aliunde tamen, ut diximus, ille maxime proderit.

Praeterea cum tanti fieri debeat Limoniorum succus, ceu antidotum contra *Aquetae* venenum, concedendum quoque erit, quod efficax esse possit contra alia factitia venena, atque illa praecipue, quae corrodentem admodum sapiunt indolem; dummodo tamen, ante ejus usum (si possibile sit) ea congruo tempore praecedant, quibus, aut per superiora, aut per inferiora, Alvum purgandi vis inest, ut magna saltem ex parte venenum inde educatur. Ex quo merito conjectandi locus adest, quod idem succus iis possit insuper prodesse, quibus unquam *Castorei* venenum fuerit propinatum. Quam infensum sit *Castorei* virus, ac quaenam illud excitet gravia symptomata, prae aliis, indicarunt *Galenus*, *Filius Patriarchae*, *Rasis*, *Albucasis*, sive mavis, *Alsaharavius*, *Avicenna*, & *Haly Abas*; quorum super hoc animadversiones accurate recenset *Ardoynus*. (100) Neque mirum esse debet, quod, cum in hystericis passionibus, aliisque nervorum affectibus *Castoreum* passim, velut utile remedium, usurpetur, nunc illud ipsum venenata praestare vi, cum enarratis Auctoribus, admittam. Sicuti enim a bonae qualitatis *Castoreo* (quod apta dosi, congruoque tempore, uti morbi ratio poscit, exhibeatur) optimi

(100) Ardoynus de Venenis lib. 4. cap. 19. de Castor.

optimi effectus eveniunt: ita cum pravae qualitatis illud est (utpote cinereum, terreum, rancidum, corruptum, atque ad dosim drachmae unius, vel semidrachmae propinatum) quod summopere noceat, *Ardoynus* ibi cum aliis auctor est. Ideo eam inter bonum, & malum *Castoreum* differentiam indicat, quod *natura* illius *est calida in fine tertii, usque ad quartum, & sicca in secundo gradu:* hujus autem *calida in quarto, & mordificativa*, & venenosa. *Accidentia* autem *consequentia ipsius assumptionem sunt, alienatio, phrenesis, apostema Pectoris calidum, cum strangulatione, Cordis tristitia, siccitas oris, febris, pustulae in lingua, & mors aliquando in die una, & praecipue si ex eo sumitur ultra drachmam semis, & praesertim drachma una. Alsaharavius* vero (101) potissimum animadvertit, quod *signum potus ejus est, quia superveniunt ex eo accidentia birsen*, idest *phrenesis, & Cordis tristitia, siccitas oris, & pustulae in lingua, & possibile est, quod interficiat, & quidem si sumitur ex eo ultra drachmam semis*. Tantamque praecipue hujusce veneni vim esse ex *Galeno* refert *Ardoynus*, ut eo ipso die, quo assumitur, aliquando interimat, nisi ei congruis antidotis obviam eamus. Quod autem ad ipsius curationem attinet, una consentiunt omnes, quod imprimis, assumpto *Castoreo*, vomitus cieatur, iteratis etiam vicibus, *donec vomitus non habeat odorem Castorei*; uti monet *Petrus de Abano*. Id tamen eo citius, & efficacius praestandum erit, si assumptum *Castoreum* pravum adeo sit, ut declinet ad nigredinem, & foetens sit, propter quod, adnotante *Avicenna*, die una interficit. Statim ac vero, ope vomitus, venenum hoc a Stomacho fuerit detersum, atque magna ex parte eliminatum, ut penitus tollantur noxae, quae a tenuioribus ejus moleculis, in aream circulationis propulsis, evenire

(101) Alsaharavius lib. Pract. Sec. 2. cap. 7. de potu Castorei.

evenire consuescunt, *Ardoynus* indicat, quod illico ii proponunt usum pomorum acetosorum, & Aceti ipsius, succum herbae acetosae, aut etiam Lac acetosum vaccinum, vel asininum. *Avicenna* praesertim, & *Alsaharavius* ad hoc utilem existimant acetositatem Citri. *Petrus* demum *de Abano* Limonia mala seligit, cujus opinioni nemo se adscribere dubitabit, qui ea, quae de bezahartica eorum succi praestantia supra fusius explicavimus, ob oculos habeat. Quod si quis unquam a me petat, quomodonam *Castoreum* (quod alioquin velut utile maxime, in Medicina passim usurpatur) ita alterari possit, quod veneni naturam acquirat: sat erit reponere, quod, quando *Castoreum* corrumpitur, obscurique coloris, ut diximus, evadit, tunc, qui in eo continetur, pinguis, serosus humor acris fit, eamque propterea induit qualitatem, quae noxium virus sapit, illudque idoneum ad pravos in Corpore producendos effectus. Id ipsum enim persaepe evenit humoribus aliis, in humano corpore se moventibus, qui, dum plus aequo in parte aliqua consistunt, & alterantur, pro speciali diathesi sua, insensissimam adipiscuntur qualitatem, ob quam virulenti pene efficiuntur. Atque hoc eo fidentius assero, quod, apud plerosque saniores Viros, Veterum jam obsolevit opinio, quae apud vulgus viget adhuc, quod nempe Animalis illius amphibii (cui *Castorei* nomen adscribunt) testiculi pro vulgari *Castoreo* assumantur, cujus usus in Medicina maximus est: cum potius (uti ex *Rondeletio* ait *Brovvn*) (102) sint *folliculi, membrana contecti, in quorum medio sunt meatus, e quibus exsudat liquor pinguis, & oleosus, quem ipse Castor, saepe admoto ore, lambit, & exsugit; postea, veluti oleo, partes Corporis oblinit:* qui folliculi in mare pariter, ac in foemina conspiciuntur.

(102) Saggio sopra gli errori popolareschi Tom. 1. lib. 3. cap. 4.

Eo magis magisque succi Limoniorum facultas adversus venena haec, & alia similia, nobis innotescet, si praeterea animadvertamus, quod ille plurimum quoque valet contra alia venena, quae, ictu animalium quorumdam, corpori nostro infigi, docuit *Ebembitar*. Prae caeteris autem venenis, Homini infensissimis, ea praecipue recenset, quae a Viperis, Serpentibus, atque Scorpionibus inferuntur, quorum veneficae destruendae vi succum hunc conferre testatur. Hujuscemodi venenorum efficaciam si quis generatim tantummodo consideret, utique cum *Friderico Hoffmanno* concedet, (103) quod ea *agunt summa partium tenuitate, quae sese altius partibus nervosis insinuant, iisque intensissimos motus inducunt*. Quae partium tenuitas, etiamsi congrua videatur esse ad subitam venenorum actionem explicandam, tamen ea minime satis est, ut peculiares, & inter se maxime discrepantes, ii effectus intelligantur, qui ab illis oriuntur: quin ultra supponamus, quod ex hisce venenis quaedam agunt (104) *principio tenuissimo, salino, acri, constringente; alia subtilissimo, vaporoso, sulphureo, Naturae infenso*, & sic aliter alia: quippe quia singula ex hisce peculiares in se continent moleculas, ratione figurae, & superficiei, vel alterius modi, quo eae constructae sunt. Ut Viperei veneni propriam adferret indolem Clarissimus *Brogiani*, (105) accuratissimi *Meadii* testimonio utitur, unde eruit, minimas hostilis Viperei succi atomos, salinas moleculas esse, sive mavis, crystallinas, acutas, nodosas, solidissimas, ad mutuum contactum accedentes facile, & immutabiles, ex genere acrium vehementiorum, quae actionem suam exercent potissimum in solidis illis, a quibus vis vitae procedit. Idcirco virulentus iste succus nec acidus, nec alcalinus videtur

(103) Frideric. Hoffman. Med. R. Systern. Tom. 2. cap. 2. n. 19.
(104) Idem ibidem n. 20.
(105) Brogiani de Veneno Animantium.

videtur esse, sed urens, ideoque gustui acerrimus. Scorpii quoque teterrimum virus minima tenuissima praesefert guttula liquidi, prosilientis ab ejus caudae foraminulis, quorum aut duo, aut tria ibidem ad latera hiare putant, ad illud effundendum venenum. Id porro etsi dicamus, candide tamen cum praelaudato *Brogiani* fatendum erit, quod *vix microscopio ipso detegitur tenuis illa, & tantis ansam disceptationibus exhibitura, liquidi guttula, quam ejicit Scorpius; exinde tamen brevi temporis momento motus omnes, actiones omnes immutantur. Ea ipsa est actio Corporum omnium, quae in nervos agunt, quaeque mole parva maximas, easque subitas, in Corpore convocant tempestates. Et profecto quis distillatam lauro-cerasi aquam in nervos agere inficietur, quae, convulsionibus excitatis, mortem fere subitam adducat, quin ulla tamen in internis primisque vitae organis, inspecto Cadavere, morbi indicia praeferantur?* Haec per analogiam, ut ajunt, ab hoc eruditissimo Viro prolata, dum veneni hujusce actionem quoquomodo nobis ob oculos ponunt, evincunt etiam merito, quod tam ii errant, qui sanguinem ab eo dissolvi, quam qui ipsum inde coagulari, pro certo habent: cum hujusce modi coagulatio (si quae in Cadaveribus tunc observatur) a vi vitae, in solidis languente, repetenda sit. Qua porro ratione, praeter caetera, eorum quoque refellimus opinionem, qui sanguinis coagulationem, uti pro genuina caussa Malignantium quarumdam febrium, inconsulto admittunt. Venenosum insuper efficax admodum principium hoc, quod ex Scorpionum ictu prodire, in Hominis perniciem, animadvertimus, variat pro ratione locorum, in quibus infensa haec animalcula degunt, & pro varia eorumdem specie. Utrinque enim diversa humorum constitutio in his animalibus emergit, tam relate ad nutrimentum, quo utuntur, quam relate ad aërem, aut alias externas caussas, ob quas eorumdem corpora diversimode

disponuntur. Atque hinc fit quod, genitum in ipsis virus, majoris, aut minoris efficaciae evadit, adeo ut, aequa proportione plus, minusve Homini noceat. Si itaque locorum rationem habere quis velit, utique cum praecitato *Brogiani* par erit concedere, quod, qui sub Italo coelo vivunt Scorpiones, (utplurimum nigri, aut obscuri coloris) vel *tenuissimae*, *vel nullius efficaciae virus* obtinent; *licet non desint pauca quaedam in contrarium, apud Auctores, exempla*. Qui vero *& corporis amplitudine*, & veneni vi, *reliquis antecellunt*, *Aegyptii Scorpii sunt*, *atque Tunetani.* Potissimum vero Scorpionum diversae species attendendae hic sunt, ut peculiares eorum virulentas qualitates intelligamus, ad mentem *Ebembitar*, qui eos, prae aliis, voluit indicare, *Algerarat* vocatos, seu (ut alii dicunt) *Jazraria*, *Alierarat*, *Jarrareti*, *Algrata*, juxta *Ardoynum*. Horum brevem quidem, sed accuratam adfert historam *Avicenna*, (106) dum ita ait: *Isti sunt sicut Scorpiones, habentes corpus gibbosum, acutas caudas, & eorum venenum est calidum, & multiplicantur in Alcoz, & in Ascari hononito, & proprie in mineris Alanudem: & quando mordent, non curatur de eis in hora illa, imo in mane, aut post: deinde accidit angustia, & alteratur calor: & quandoque accidit Icteritia, & apostematur lingua, & ulceratur locus puncturae, & mingit sanguinem: & quandoque retinetur natura, & fortasse convertitur esse ejus ad perditionem, & incipit cum pulsu Cordis, & syncopi: & non oportet ut negligatur, propter levitatem doloris ejus, quoniam est mali veneni.* Hoc propemodum, quod ad infensissimi Scorpionis hujusce virus, & actionem, quoque sentit *Alsaharavius* (107); dum animal hoc praeterea mole parvum esse, valde movere caudam, atque ideo appellari *Grata*, monet: ubi insuper anim-

(106) Avicenna Can. lib. 4. Fen. 6. Tract. 5. cap. 4.
(107) Alsaharavius Tract. 30. Sec. 2. cap. 22.

animadvertit, quod licet ſtatim poſt ictum nullus fere dolor, atque ſolum pruritus vehemens in affecta parte excitetur; tamen ſecundo die ſupervenit ſyncopes, & poſtea febris acuta valde, atque demum Icteritia, propter quam vireſcit, & rubeſcit maxime Corpus, tunc cum, ſimul, tumeſcente lingua, vomitus ſucci porracei accidit, & Aegroti ſanguinem mingunt; propter quae mors in proximo eſt. Ejuſdem quoque lethalis veneni, ab hoc Scorpione profecti, *Raſis* (108) meminit, ejus geneſim terrae *Cobum* ſpecialiter adſcribens, atque de eo fuſe egit *Ardoynus*, (109) ubi *raſtellantem* eum Scorpionem vocat. Alias etiam ſpecies hiſce addere non incongruum erit, ut eorum potiſſimas differentias aſſequamur. *Avicenna* (110) dicit, quod aliqui Scorpiones duos habent aculeos, a quibus hoſtile virus emittunt; geſtant alas, quibus per aëra feruntur: alii *ſpondyles* ſex in cauda habent, & alii pauciores; alii demum inter ſe differunt colore, quippe qui albi, citrini, rubri, cinerei, rufi, virides, & aurei, cum magnis caudis; cujuſmodi videntur ii eſſe, quos eruditiſſimus *Redi* in Tunetano regno *Akrab* vocari cenſet, (111) atque, praeter hoſce, vinoſi quandoque reperiuntur. Alii vero, (112) *qui in Aegypto naſcuntur, aut albicant colore, aut virides ſunt, triploque majores, quam noſtrates, cernuntur* .... eorumque *ictus ſunt uſque adeo exitiales, ut, ni partem ictam ex toto ſectione abdicare queant, omnes moriantur*. Iſtorum autem caudam aculeis duobus inſtructam eſſe, *Alpinus* ibidem teſtatur, eorumque virus exitiale adeo, ut Aegyptii

(108) Raſis Tract. 8. cap. 4.
(109) Ardoynus de Venenis lib. 8. cap. 2.
(110) Avicenna lib. 4. Fen. 6. Tract. 5. cap. 2.
(111) Redi Eſperienze intorno agli Inſetti.
(112) Proſper. Alpin. Rerum Aegypt. lib. 4. cap. 3.

tii longe magis illud timeant, quam Aſpidis, Ceraſtae, aut alterius cujuſvis virulenti Serpentis venenum, ſi forte ab illis icti ſint. Praeterea Scorpiones alios memorat *Albertus Seba*, (113) maximum ſcilicet Braſilienſem *cauda bifida*, Scorpionem Ceiloninum, Surinanenſem, alioſque Africanos, atque denique omnium minimos in Hollandia. Sed, omiſſis ſpecialibus hiſce Scorpionum differentiis, quae ad propoſitum noſtrum parum conferunt, id unum praecipue dicam, quod utcunque pravae, penetrantis, imo urentis indolis ſit virus hoc, quo pollet minima ea guttula liquoris, a Scorpii recurvo aculeo tunc proſilientis; haud ſatis unquam quis intelliget, quomodonam tam variis modis, atque adeo graviter, laeſorum Hominum ita corpora afficiat, ut eos aliquando citiſſime etiam occidat. Quamobrem circa hoc, & alia hujuſce cenſus venena, a mortiferis animalibus emanantia, cum praelaudato eruditiſs. *Brogiani* (114) malim fateri, *ea, quae Sapientem decet, definitae humanae ſcientiae memoria, quod, cum plurima Phyſicae phoenomena occupationem Hominum peſſimam fecerit Deus; tum hanc potiſſimum alta nocte obrutam veneni actionem in profundo Democriti puteo Natura collocaverit.*

Ut ergo teterrimum virus hoc, ſive Viperarum, ſive Scorpionum ictu, communicatum, non modo laeſam extrinſecus partem, verum etiam univerſam ſanguinis maſſam quomodolibet inficiens, edometur, imo, ſi fieri poſſit, deſtruatur penitus (quippe quod ejus actio, ut diximus, ignota nobis omnino ſit): ſatis erit, quod ex iis, quae de vi ſucci Limoniorum contra venenum, *Aqueta* dictum, innuimus ſupra, deducamus, ad *Elembitar* mentem, quod idem ſuccus aeque potens contra animalium iſtorum venenum evadat.

(113) Albert. Seba Rerum Natur. Theſaur. Tom. 1.
(114) Brogiani de Veneno Animant.

evadat. Uti vero, juxta ſanam Arabi hujuſce Auctoris methodum, animadvertimus ultra, quod contra illa venena, quae per os aſsumuntur, tunc eo magis Limoniorum antidotum juvat, quo citius antea vomitus ſatis fuerit excitatus: ita poſt inflictum ab animalibus illis vulnus, in ea, quae laeditur, parte, pari ſollicitudine fas erit curationem incipere. In utraque enim horum venenorum ſpecie, praeſtandum hoc ideo eſt, quia ab affecta primum parte, tanquam ab infenſo fonte, procedens virus ad ſanguinem facile properans, alias quoque intimas contaminat. Idcirco, cum aſſumpta venena illico in Ventriculo tyrannidem ſuam exerceant; ſi ea fauſto omine per vomitum detergantur inde penitus, educanturque, poſſibile eſt, quod ab iis ſanguis nihilum inficiatur, aliaeque inſuper partes aeque illaeſae remaneant. Ita vero per vomitum, ea, quam ſupra attulimus, methodo, cum ab infenſo veneno Stomachus liber magna ex parte evaſerit: qui poſtea ebibitur, Limoniorum ſuccus ipſi longe majorem adfert opem, pravam nempe, ibidem excitatam, qualitatem attemperando, ac deſtruendo. Quod ſi nihilominus aliqua adhuc, poſt vomitum, vel purgationem, ſuperſit aſsumpti veneni pars, quae ad ſanguinis ſemitam traducatur; ejus tamen copia cum minor ſit, eidem citius, & melius tunc ſuccurret Limoniorum pharmacum. Haud abſimile valet ratiocinium, quod ad externa, de quibus modo agimus, venena veriſimilius evincenda: quod nempe, ut demorſis hominibus opitulemur tutius, ad affectam primo partem animum intendamus; anteaquam ſcilicet infuſum ibidem venenum, lateralium vaſculorum hiatus clanculum ſubiens, abditiora Corporis penetralia pervadat. Quamobrem omnem in hoc meretur laudem *Avicenna*, dum hac occaſione cauterium imprimis laeſae parti adhibendum ſtatim eſſe, jubet. *Raſis* autem 2. *Continentis* cap. 2. (uti *Ardoynus* adnotat)

notat) (115), praecipue suadet, ut demorsa pars, cucurbitulis appositis, exsugatur, seu abstergatur; ac una congruum ducit, *calefacere lapidem molarem, & irrorare super ipsum acetum, & suffumigare membrum*. Ita quoque plurimi fieri debet curationis ea methodus, quam ibidem *Ardoynus*, ceu ab *Haly Abate* depromptam, indicat, de *rastellantis* praesertim Scorpionis punctura loquens, cujus verba fas est adamussim referre: atque haec sunt. *Huic antiqui Medici medelam ignorarunt. Sed qui secuti sunt de Gente Hascarin equeren, phlebotomo extrahebant sanguinem, quantum patiebatur virtus.... statim apponentes sitiam, idest ventosam, loco, qui punctus erat, & fortiter sugebant, quo venenum abstraherent. Adhibent autem loco medicamina calida, ut Euphorbium, Castoreum, terram armeniam, circumponentes cum aceto*. Neque omittenda hic est accurata sollicitudo *Prosperi Alpini* (116), quod, cum ipse demorsus saepe fuerit a Scorpionibus nigris nostratibus (etsi ii aliis, ut innuimus, eo minus noxii sint) a quorum tamen ictu parum doloris senserat; *satis ad ejus ictum fuit, vel scorpio tritus parti appositus, vel oleum e scorpionibus illitum*. Atque idem Auctor cum optime nosceret, quanti revera interest, ad internas ejusdem veneni arcendas noxas, ut, quo citius fieri queat, demorsae prospiciatur parti, a qua statim procedens virus intra demum protruditur: haud dubitat asserere, quod si tunc *pars ista amputari potest, ea statim amputata, assumpta una & Theriaca, servantur*. Pro certo quippe habebat ipse, quod contra Aegyptiorum Scorpionum morsus nullum valeret pharmacum: cum fortasse succi Limoniorum mirabile antidotum ipsi nondum innotuisset. Ego vero, pace tanti Viri, cujus alioquin opera, velut utilia, probo, nunquam amputationem

(115) Ardoynus de Venenis lib. 8. cap. 2.
(116) Prosper. Alpin. Rerum Aegypt. lib. 3. cap. 4.

tionem hanc in hisce circumstantiis admittam, nisi cum in illa parte suboriatur gangraena, eaque lethalis. Tam incisiones enim, quam excarificationes, quae in ea fiunt parte, cauterio etiam, aut cucurbitulis appositis, aliisque usurpatis remediis, ad extrahendum virus illud, amputationis necessitatem avertere quandoque possunt. Eaque praesidia, aut alia hujusmodi laesae parti adhibita, intento tutius satisfaciunt, si anteaquam usurpentur, affecta pars illa, (sicuti possibile sit) valido devinciatur vinculo, ut ejus commercium cum aliis omnino tollatur, ideoque caveamus, ne illuc intrusum tenuissimum venenum, a lateralibus absorbentibus vasis recipiatur, atque proinde in aream circulationis cum sanguine abeat. Atque hæc, ut opinor, omnium melior est curationis methodus, in hisce circumstantiis, quam aeque, post morsum rabidi canis, illico fas esset adhibere, ad Hydrophobiam avertendam; maxime quia alia, quae tunc praescribuntur remedia, ceu vana, videntur esse; uti dicemus Cap. X.

Hoc itaque modo, vel aliter, ut quispiam malit, posteaquam demorsae parti satis prospectum sit; si aliqua unquam veneni pars ad sanguinem permeaverit, congrua intrinsecus remedia propinanda erunt, quae ejus actioni resistant, imo sese opponant penitus. Ex antiquis Medici plerique specialem ad hoc indicant Theriacam, quam *exercitualem* dicunt, tanquam Scorpionum puncturae speciatim oppositam. Hujusmodi illa est, quam ita (117) *Rasis* describit.

R.e *Gentianae*, *Aristolochiae*, *Mirrhae*,
Costi, *Castorei*, *Mentastri sicci*,
Piretri, *Gingiberis*, *Nigellae*,
Piperis, *Ruthae*,
Omnium partes aequales:

Cani-

(117) Rasis Tract. 8. cap. 3.

Conficiantur cum melle: detur ex ea ad nucis magnitudinem cum Vino.

Authorante vero *Ardoyno*, loco supra citato, aliud compositum remedium ita exhibet *Haly Abas*.

℞.
Corticis radicis Capparorum,
Colocynthidis, Gentianae, Absynthii,
Aristolochiae rotundae,
Taraxaci sicci,
Omnium partes aequales.

Tere, & de hoc propina drachmas duas cum Vino.

Propinant etiam Barmeli, ideft radicis Ruthae campestris hexagium unum, tritum diligenter cum Vino, prodestque illis manifesta utilitate.

Alii alias ad hoc antidotos seligunt, juxta peculiarem methodum, quae ipsis arridet. Ast haec omnia praesidia, quo magis composita sunt, imo ex contrariis quandoque inter se remediis consarcinata, minime intelligo quomodonam utilia revera esse possint: tametsi eo utcunque dirigantur, ut specialibus inde subortis symptomatibus occurrant. Et oh utinam, qui praesunt Magistratibus, communi saluti prospicientibus, ea omnia aliquando damnarent nimis composita pharmaca, in Antiquorum Antidotariis descripta, quae, veluti ad pompam potius inventa, tam aurum, quam pretiosos lapides in se continent. Hisce propterea neglectis antidotis, ut demorsis hominibus opitulemur, una omnes consentiunt, quod acida remedia praescribantur: uti sunt vel succus malorum acetosorum, vel granatorum acetosorum, vel agrestae, vel similium. Etenim *omnis Populus Hascarin equeren consuevit* (118) *in hujus scorpionis* (nempe Algerarat) *punctura aquam pomorum etiam in domibus quoque suis usui asservare. Statimque, ut cum*

(118) Ardoyn. de Venenis ut supra.


ut cum aliquis pungit hominem, accelerat de hoc aliquid bibere, passioque cessat ab eo, & sanatur. *Christophorus de Bononia* in suis problematibus de venenis, agens de *Jarraria*, sive de Scorpionis Algerarat punctura, sic docet: *Bezahar ejus est lac acetosum, datum in magna quantitate*, quod vocatur etiam *Alraib*, juxta *Bellunensis* expositionem in operibus *Avicennae*. Hic etiam Medicorum Arabum Princeps, praeter externa praesidia, Scorpionis hujusce puncturae convenientia, specialem indicat Theriacam, in qua malorum acetosorum folia continentur; aquas fructuum, & eorum succum, fructus dissolutos in aqua, & lac valde acetosum, cum Trochiscis de Camphora. Cum itaque acida haec remedia, aut alia quaevis, ea qualitate praestantia, in hoc utilia maxime praedicentur; quis Arabico Auctori nostro non concedet, quod Limoniorum succus omnem, prae aliis, mereatur laudem, qui quidem omnibus inde obortis accidentibus miro modo succurrit: uti ex iis, quae supra fuse proposui, adamussim patet? Ideo saepe in aqua succum hunc bibant Aegroti, eoque, si lubet, alimenta quaeque conspergant; ita ut ea omnia, quae assumunt, aciditate praestent. Atque haec, quae supra memoravimus, Athenaei historia eo magis confirmat, cui alteram addit *Guglielmus Schmidt* (119) de studioso quodam Medicinae Parisiis, qui a Vipera graviter demorsus, post alia frustra adhibita remedia, usu Citriorum malorum, ejusque succi, convaluit: uti etiam testatur *Mangetus* in praecitato tractatu de *Citriis Malis*. Nam istae, ac aliae plurimae, quae circa hoc apud Auctores extant, Citriorum malorum observationes, aeque Limoniorum succi Bezaharticam facultatem patefaciunt, quo illis longe magis isti fructus aciditate praestant. CA-

(119) Vide Miscellanea Physico-Medica dissert. 3. de praestantia malorum Citriorum.

CAPUT III.

ARTICULUS VIII.

Quod Malorum Limoniorum succus non noceat alicui membro, sed nervis tantum, & iis demum Hominibus, qui frigida temperie pollent.



X hisce, quae supra satis innuimus, quod ad succi Limoniorum praecipuas qualitates, fas est deducere, quod ipse furentis summopere bilis aestum refraenat, imo & omnino sedat. Iis itaque succi ejusdem usus conveniens erit, qui tali humore magis abundant; uti & eo tempore, nec non in illis maxime morbis, in quibus bilis dominatur magis, atque vehementius saevit. Id ipsum quoque secus eas nobis indicat circumstantias, in quibus ille succus minus convenire posse videtur: sive nempe relate ad specialem affectorum Corporum aetatem, aut temperiem, sive relate ad morborum indolem, & anni tempus, quo ii grassantur, aut gravius saeviunt: qua porro norma, circa hoc tutius *Ebembitar* judicium assequi possumus. Atque hinc deducimus etiam, qua ratione Arabicus iste Auctor senserit, quod succus Limoniorum nulli membro noceat; dummodo scilicet agatur de circumstantiis illis, in quibus omnino conveniat, juxta ea, quae indicavimus, atque fusius postea demonstrabimus. Juvenibus propterea, nec non illis maxime, in quibus copiosa magis adest bilis, eaque summopere fervet,

aestivo

aestivo proinde tempore, nec non in biliosis omnibus morbis utilis adeo evadet succus iste, ut eo nullum tutius, & utilius remedium reperiri possit, quod indicationibus omnibus adamussim satisfaciat. Hoc siquidem aeque verum comperitur esse, tam si uti attemperans, refrigerans, quam si uti attenuans, & incidens, ob allatas supra rationes, adhibendus proinde sit. In Senibus contra, qui bile hac aestuante, fervidaque magna ex parte carent; unde & perquam raro biliosis corripiuntur morbis; in quibus praeterea graciles, tensi, seu mavis, obdurati nervi sunt, aut aliter etiam debiles, minusque ad oscillandum idonei; in quibus, caeteris paribus, concitatus longe minus est motus sanguinis, qui insuper in aestus, ob quamcunque causam, longe minus pronus efficitur: hunc succum & rarius, & parcius usurpare fas est. In hisce enim ejus abusus eo magis timendus est: quippe quod in iis languens aliunde vitalis calor, seu melius vitae actio, ita compescitur, atque pene sedatur; dum praesertim nervi, suapte natura ad motum inertes, eo minus elastici redduntur. Quamobrem tantum abest, quod Senibus attemperans haec succi Limoniorum vis omnino conveniat, ut potius attenuantia, & calefacientia, plerumque necessaria sint. Hoc ea confirmant, quae sano ratiocinio scripsit Clarissimus *de Gorter*, (120) eademque, tanquam ad propositum nostrum optime facientia, hic distincte referam. *In senibus, quia vires recuperari nequeunt, inevitabili lege deperditae, sensim in deteriora abeunt: quae igitur mala, ex deficiente actione vitae nata, ut evitentur, & aliquo modo praeveniantur, adhibemus auxilia, actionem vitae suscitantia. Hippocrates dicit* egere fomitibus: *idest adhibenda sunt auxilia, quae majorem calorem sua potentia in corpore excitant, qualia hodie*

I *vocantur*

(120) Johan. de Gorter lib. 1. Medicin. Hippocr. Aph. 14.

vocantur calefacientia, qualia sunt spirituosa, & aromatica. Ita enim est nostra vitae actio comparata, ut a quibusdam assumtis se validius agitet. Talia calefacientia Senibus, minime vero Juvenibus, sunt adhibenda, utpote his actio vitae satis valens non eget stimulo; quem si adhibes, morbus fit ex nimia agitatione: sed Senum corpora languentia stimulo exagitanda.

Insuper, praeter Senes, ab usu succi Limoniorum alii caute sunt arcendi, quorum lymphatica vere est corporis temperies, quam Antiqui *Pituitosam* appellabant: in quibus videlicet solida summopere laxa sunt, atque catarrhosi humores, mobilibus nempe particulis carentes, parumque aestuantes abundant. In quo vere sensu intelligendus est Arabs Auctor iste, dum statuit, quod iste succus *non est conveniens eis, qui habent nervos debiles, & habentibus complexionem frigidam*. Etenim in hisce (ut paulo ante de Senibus monuimus) loco eorum, quae solida laxant, & fluidorum motum coercent, volatilia, & quoquomodo irritantia remedia usurpare, necessum est. Quemadmodum Paralysis, aliive nervorum torpores hoc succo non sunt curandi, ne in pejus Aegroti ruant. Ideo, cum in hisce morbis, atque praesertim in Senibus iste succus ut plurimum non careat suspicione: neque hyeme tutus omnino sit ejus usus: ita quacunque alia occasione caute usurpandus erit, quotiescunque nec abundat bilis, neque ea plurimum aestuat, nec effraenes humorum motus eveniunt. Eodem innixi ratiocinio noscimus, quare nam, (ut supra proposuimus) utilis maxime succus iste evadat Junioribus, & vegetis faeminis illis, quae ideo Hystericae fiunt, quia humores in illis plus aequo fervent, & tumultuarie moventur, aut acre fluidum quoddam (cui aphrodisii nomen adscribimus) ab Utero abunde procedens, vel ab aliis eidem adnexis partibus, admodum dominatur, propter quod minima nervorum filamina sine norma, vehementerque oscil-

lant

fant. Quamobrem in hisce circumstantiis prodest maxime Limoniorum succus, recens expressus, & copiose cum aqua epotus, jejuno praesertim Stomacho: cujus ope aestuans, atque irritans humorum compages solvitur, & nervi laxantur. Quibus omnibus pro re nata, ut par est, consideratis, quisque generatim intelliget, cur nam Aestate potius, quam Hyeme, Juvenibus potius, quam Senibus, cholericis potius, quam lymphaticis hominibus, atque demum iis potius, qui magis elasticos, & mobiles, quam iis, qui debiles, & inertes habent nervos, Limoniorum succus merito conveniat. Eaque omnia rationabiliter probant etiam, quare nam *Andreolus* (121), dum ad sedandos febriles aestus, tam vitrioli spiritum, quam succum Citri, Limoniorum, & Aurantiorum commendat, animadvertat insuper, quod haec acida dumtaxat usurpanda sint *in febribus acutis calorificis. Nam in chronicis febribus, a materia acida, melancholica, crassa, tutius est abstinere ab acidis, & eorum loco adhibere amarulenta, absynthiaca, gentianae radices &c.* Ita expertissimus *Riverius*, (122) quamvis mirae acidorum remediorum vi fiderit adeo, ut absolute statuerit, quod ea *in febribus nunquam sint omittenda, quia amara dulcificantur per acida*; quippe quia bilis dominatum tunc praesupponat: tamen alibi (123) *de succo Limoniorum hoc notandum* esse docet, *cautum esse debere illius usum, quia frequentius, aut nimia copia exhibitus, aphtas facit in Ventriculo, unde lienteria succedit.* Ego tamen, etiamsi non omnino, experientia teste, concedam, quod ex solo hujusce succi abusu (nisi de specialibus, & oppido raris agatur corporum circumstantiis), aphtae in Ventriculo fiant, aut Lienteria succedat: nihilominus non negabo, quod frequens nimis, & supervacaneus ejus usus mala efficere quandoque

I 2 possit,

(121) Michael. Ang. Andreol. de Febrib. lib. 1. cap. 1.
(122) Lazar. River. Pract. Medic. lib. 17.
(123) Idem ibidem lib. 14. cap. 1.

possit, atque tunc praecipue, ut diximus, cum nullo modo conveniens ipse sit, atque in iis potissimum, quorum cachecticus revera sit corporis habitus, atque serosa constitutio. Quamobrem, cum, adnotantibus ultra *Pisanello*, (124) & *Castor Duranto* (125) pro certo habeam, quod, in recensitis a me supra circumstantiis, succus iste longe magis, quam aliud quodpiam remedium, vere prosit: ita nec iis assentior, qui tanquam inconcussum habent, quod ab eo summopere infrigidetur Stomachus; quod colici suscitentur dolores; quod corpus emungatur; quod melancholici generentur humores; atque tandem adstricta fiat admodum Alvus. Nam si unquam tam pravi effectus, quod ab hoc saluberrimo remedio eveniant, sit asserendum (ut alioquin minime probo) certe id inordinato, & copioso nimis ejus usui tribuendum erit: atque maxime si de iis agatur Aegrotis, in quibus tam prava humorum diathesis dominatur, atque talis nervorum constitutio, propter quam utrinque remedia quaevis acida penitus noceant. Praeterquamquod cum eodem *Ebembitar* animadvertendum est, quod si quidquam hinc damni potest evenire, tunc id fiet, *quando talis succus assumitur simplex, non permixtus cum eo, quod rectificat ipsum*. Atque in hoc eadem videtur esse *Pisanelli*, & *Duranti* sententia, quam ego quoque admitto: dum scilicet ii monent, quod succus iste cum aqua diluatur, ad nimiam ejus attemperandam aciditatem; ita ut etiam, (si opus sit, aut utcunque lubeat) saccharum, & cinnamomum, aut aliud quidpiam addatur. Revera succus iste, ab immaturis fructibus elicitus, si simplex assumitur, uti stuporem dentium quandoque excitat, ita Ventriculi, & Intestinorum fibris, eoque magis nervis, infensus esse

---

(124) Pisanelli Trattato della natura de' Cibi. pag. m. 52.
(125) Castor Durant. Il Tesoro della Sanità. pag. m. 168.

esse potest. Quapropter tunc solum iste simplex adhibetur, & parce, quando summus Ventriculi viget aestus, occasione ardentium febrium, in quibus bilis praecipue turget nimis, unde & cardialgicae vehementes excitantur passiones, & vomitus molestus; quibus succi hujusce simplicis modica dosis, una cum laudano opiato, & sale absynthii, opem illico praestat, ut antea observavimus. Ideo cum eo succo tam abunde, quam saepe, fas est uti, is aquae plerumque immiscetur, atque saccharum tunc additur, cum hoc adeo gratum Aegrotis fore censemus, ut nec aliter iis possit exhiberi. Alioquin enim tantum abest, quod saccharum hujusce succi vim incidentem augeat, ut eam potius compescat, ejus tenuiores moleculas irretiendo. Praeterquamquod addere non incongruum erit, quod, cum ad attemperandam bilem, ejusque vim coercendam succus iste ut plurimum usuveniat: ad hoc sane saccharum minime confert; uti tunc supra monuimus, cum id ex eo judicavimus, quod *dulcia bilescunt*. Animadverto denique, quod in illis, qui lacte utuntur, imo lacteae dietae sunt addicti, nullo modo succus Limoniorum convenit.


Quibus omnibus, aliisque hujusmodi, caute pro re nata servatis, quotiescunque remedium hoc in illis sana methodo usurpetur, in quibus nulla vere contraindicatio occurrat, omnem ipse laudem merebitur, ac eas maxime, quas eidem attribuit *Nigrisolius*, (126) dum iteratis observationibus evincit, quod succus iste *putredinem malignam inhibere, venenosam qualitatem oppugnare, & Cordi contra febriles aestus robur addere, omnino potens erit*. Atque ut tandem pateat, in quibusnam morbis haud prorsus tutus sit semper hujusce remedii usus, *Geoffroy* testimonium (127) in medium proferam,

(126) Hieronym. Nigrisol. Progymnas. 2.
(127) Geoffroy Tom. 2. Mater. Medic. Part. 2. Sec. 2.

feram, ut cum eo concedamus, quod, licet in quamplurimis morbis *acida utiliter usurpentur, quia insignem vim habent refrigerandi, aperiendi, pituitam crassam incidendi, putredini resistendi, inflammabilitatem humorum, & eorum acrimoniam demulcendi: advertendum tamen est, in Pleuritide, Peripneumonia, Haemophtoe, Phthysi, caeterisque Pulmonum affectionibus; Ventriculi, & Intestinorum Inflammatione, Dysenteria, Sanguinis mictu, Renum, & Vesicae ulceribus, plurimum nocere. Tunc igitur ab illis abstinendum est: tussim enim provocant, Ventriculi, & Intestinorum tormina pariunt, Diarrhoeas, aut Haemorrhagias provocant. Speciatim vero de succo Citri, & Limonum Riverius observat, cautum esse debere ejus usum.* Qua autem ratione, nec non in quibus sane circumstantiis, adeo cautus esse debeat succi Limoniorum usus, ne scilicet ab eo pejora eveniant mala, satis, ut arbitror, indicavimus supra. Ex quibus ultra deducendum erit, quod ea, quae ex incongruo acidorum usu timenda fore, mala, *Geoffroy* monuit, non omnino succum hunc videntur attingere, sed ea praesertim acida, quae velut austera, aut mineralibus conflata particulis, acrimoniam quoquo modo sapiunt, unde & solida non parum irritant. Enimvero allata a *Montano* distinctio (128) nos apprime docet, acidos dividendos liquores esse in illos, qui solum acidi sunt, ut succus Limonum; & in eos qui pure acres, ut succus chelidoniae; & in alios, qui mixti sunt ex utroque, acrimonia, inquam, & aciditate, ut acetum: de quo iterum agemus postea, ita quod ejus cum Limoniorum succo opportuna a nobis fiat comparatio. Atque praeterea licet animadvertere, quod etiam alia ratione enarratis supra morbis aliquando Limoniorum succus (cum moderamine tamen usurpatus) potest convenire: quotiescunque

(128) Montanus de simpl. Medicamentor. qualit.

cunque scilicet, una cum ipsis aestuans, & copiosa bilis dominetur, cujus vim compescere ipse potest, ne eo pejor exinde morbus ille evadat, qui caeteroquin ab alia causa dependeat: id, quod tutius praestandum erit, si ob bilis actionem complicatus ille morbus sit. Denique cum praecitato *Geoffroy* (129) Tyrones monemus, *in julapiis cardiacis, & diaphoreticis, Stybii praeparationes diaphoreticas cum acido succo Citri, vel Limonum permiscendas non esse, ne emeticae fiant. Caveant pariter, ne acida emulsionibus commisceant: quippe substantiam lactescentem facile praecipitant:* uti id ipsum valet, quando alia hujuscemodi remedia sunt administranda: ne scilicet aut facultates suas amittant, aut in pejores unquam immutent; quod summopere interest ad exercendam tuto Praxim.



(129) Geoffroy Tom. 2. Mater. Medic. Part. 2. Sec. 2.

CAPUT III.

ARTICULUS IX.

Quod Malorum Limoniorum ſuccus magis, quam Acetum, conveniat, congrua facta utriuſque comparatione.



Um, *Ebembitar* duce, miram ſucci Limoniorum facultatem ſupra Aceti vim probare modo contendam, non is ego ſum, qui Aceti uſum velim unquam condemnare, atque maxime in ſpecialibus morbis illis, quorum curationi illud revera conferre, quamplurimi inter Antiquos, & Recentiores Medicos exiſtimant. Quapropter, ut cuique oſtendam, quantum in hoc eorum opinioni ego quoque tribuam, Aceti in primis potiſſimas facultates breviter indicabo: propter quod facilior mihi patebit aditus, ut, eas cum Limoniorum ſucci viribus comparando, veriſimilius indicem, in quibuſnam circumſtantiis Arabico Auctori noſtro concedendum ſit, quod vere ſuccus iſte in peculiaribus morbis Aceto ſit praeſtantior, ut eo tutius, citiuſque Aegrotis opitulemur.

Ut autem ſummatim Aceti vires patefaciam, ſatis erit *Martini Liſter* (130) circa hoc judicium adferre, dum ipſe ait: *Acetum refrigerat, & adſtringit. Stomacho utile appetentiam excitat, erumpentem undique ſanguinem ſiſtit, potu inſeſſuve. Prodeſt Alvi fluxionibus, cum cibis coctum. In Ortophnoea*

(130) Martin. Liſter Tract. de Morb. Chronic. Exercit. 5.

phnoeâ calidum commode sorbetur. Tussim veterem mitigat. Inflammationes arcet. Reprimit abscedentes gingivas, & sanguine manantes. Suggillationes rapit, & ad conglobatum sanguinem prodest. Ad Capitis dolores confert. Ad aquam intercutem ferventis vapor proficit. Panos coercet tepide fotus, pruritus permulcet. Ad nomas, & sacrum ignem, & ulcera, quae serpunt, ad lepram, impetiginesque efficax est. Phagaedenas ulcerum, nomasque fotu continuo cohibet. Calidum potum adversus omnia venena efficax est, praesertim contra Maeconium, fungos, & haustam cicutam, contra venenatorum serpentum ictus, & eos, qui urens virus ejaculant. Apposite tamen adnotandum hic esse volo, quod licet Auctor iste in recensitis variis morbis, atque in Scorbuto maxime, tantum Aceto, velut egregio remedio, tribuat; ejus nihilominus cum acido succo fructuum immaturorum, & praecipue Limoniorum opportuna facta comparatione, tam Limoniorum, quam Aurantiorum fructuum succum, tanquam tutum magis, & utilem, imo, prae caeteris, excellentem magis habendum esse statuit. Etenim in Limoniorum maturorum succo, nec ingratam aciditatem immaturorum fructuum, nec Aceti acrimoniam reperit: propter quod aut minima nervorum filamina plus aequo corrugare, sive constringere, aut plus aequo irritare nunquam valeat. Eamdem itaque saniorem curationis methodum servans, celeberrimus *Antonius Cocchi*, (131) (summo omnium moerore e vivis nuperrime sublatus) ubi de Scorbuto agit, auctoritate *Balduini Ronssei*, praecitati *Lister*, & *Gullielmi Pisonis* merito utens, omnino statuit, quod & Poma Aurantia, & Limonia summum omnium praesidium Scorbuticis adferunt: uti ex dictis magis evincitur. Major autem in hisce, aliisque morbis, succi Limoniorum supra Acetum praestantia

(131) Anton. Cocchi dei Bagni di Pisa cap. 4. §. 15.

stantia patet etiam, si, *Montano* (132) teste, quis consideret, quod succus iste *tantae aciditatis est, & in tenuissima substantia fundatur, ut acetum etiam incidendo, & colliquando superet: & clarum est hoc experientia, cujus facultates neque a Galeno, neque ab Antiquis deprehensas esse video: neque enim omnia experiri potuerunt*. Hisce addam cum eodem *Montano*, quod Acetum *habet acrimoniam junctam cum* aciditate. Quapropter eo magis cum ipso nobis in proclivi erit judicare, quod in enarratis morbis, & in aliis, in quibus eaedem indicationes militant, succus Limoniorum (ceu tutius, & utilius remedium) Aceto revera palmam eripiat, ideoque pluris sit aestimandus. Praeterquamquod, si plerisque Auctoribus, atque praecipue *Baccio*, (133) fides in hoc sit adhibenda, tantum abest, ut in Aceto par, ac in Limoniorum succo, vis refrigerans vere sit admittenda; quod, cum *diversarum partium* sit *Acetum*, *sic & diversarum esse facultatum decernere*, liceat, videlicet *calidum simul, & frigidum*. Cujus quidem asserti rationem ita ipse subdit: *Nam dum Vinum in Acetum transit, vinosae ejus partes refrigerantur, ac aqueum in eo excrementum, putrescens, adscititiam induit caliditatem, veluti caetera omnia, quae putrescunt*. Exinde vero, congrua facta comparatione Aceti (134) cum acidis fructibus, dicit, quod in hisce praevalet vis refrigerandi; cum ii speciatim frigidi revera sint, ad differentiam Aceti, in quo simul caliditas consideranda est: id, quod eo magis verum esse comperitur, si Limoniorum praecipue cum Aceto comparatio fiat: quod nempe (*Montano* ibidem docente) *habet acrimoniam junctam cum aciditate*. Etiam *Arlunus* (135) omphacium comparans

(132) Montan. de Simplic. Medicament. qualitat.
(133) Andr. Bacci de Natur. Vinor. histor. lib. 1. cap. 23.
(134) Idem ibidem cap. 24.
(135) Jo: Petr. Arlun. de facilior. Aliment. comment. 3.

comparans cum Aceto, monet quod illud *frigorificum magis* existit. *Aceto namque calentes particulae inhaerent, quae acidi saporis remissum ardorem obtundunt.... Contra omphacium ponticis ex partibus, & acidis constat; sunt vero insigni frigore praeditae ponticae partes: quapropter jure ambiget nemo, omphacium aceto intensiore frigore vigere: tametsi acetum plures, & internos artus refrigerans, omphacii gradum eminentiorem diffusiore extensione superet*. Quod si, facta comparatione Aceti cum Omphacio, hoc magis, quam illud prodesse concedamus, ad febrilem sanguinis attemperandum aestum; hoc eo rationabilius asserendum erit de Limoniorum succo, in quo longe major tenuitas, praeter vim refrigerandi maximam, quod vigeat, inficiari nemo potest. Neque praeterea ad hoc omittenda illa sunt, quae de peculiari Aceti qualitate *Lanzonus* (136) attulit, dum eorum opinionem recenset, qui putant, quod Aceti usus diu protractus, aestate praesertim, *potenter corpora exsiccat*. Insuper *hoc genus remedii eos fugere* debere monet, qui *Articulos habent imbecilles, nec non Uterum, atque hyeme*: quippe quia *nimia* in Aceto vigeat *acredo*, ad quam infringendam, eidem *immiscendae sunt uvae passae*. Ad quae sane animum intendisse putaverim praelaudatum *Cocchi* (137), qui, posteaquam plura de miris Aceti facultatibus declaraverat, ob quas scilicet in ardentibus febribus attemperentur maxime, nec non dissolvantur humores, eorumque prava diathesis, aut a venenis, aut ab interna *alcalescentia* procedens, edometur; tandem concludit, ea bona omnia multo melius, & efficacius ab aliis acidis succis evenire posse, atque speciatim ab illis, qui a Limoniis malis, aliisque ejusdem census fructibus eruuntur. Horum ideo vegetabilium remediorum admirabilem specialem facultatem

(136) Joseph Lanzon. Op. omnia Tom. 2. Consult. 170.
(137) Anton. Cocchi Discorso del Vitto Pitagorico.

cultatem plurimi faciendam esse, praesertim admonet in malignis quibuslibet, & pestilentibus febribus, in quibus summus viget humorum aestus, acris qualitas, atque in componentibus moleculis tumultuaria collisio, propter quod in enormem effervescentiam ii facile adiguntur. Eapropter, cum Cap. 3. Articulo 6., ne dum docente *Ebembitar*, verum etiam aliis adstipulantibus Auctoribus, demonstratum sit, quod Limoniorum succus, prae caeteris acidis praesidiis, cum sanguinis aestum, seu mavis, *effervescentiam*, quam Ebrii patiuntur Homines, omnino sedet: ita, authorante *Bachstrom*, (138) ex eo deducimus, quod ipse succus, in febribus illis, quae maximum sanguinis aestum, & venenatam, pene dixerim, qualitatem pro causa habent, utiliter usurpandus sit. *Sic in febribus plurimis* (ut ejusdem Auctoris verbis utar) *Aegroti, ignorantibus, & dissuadentibus Medicis, Naturae instinctu acida desiderant, comedunt, & eorum virtute febri finem imponunt. Sic ego rationibus sufficientibus adductus, febrem ardentem saepius unico malo Citrio sustuli. Sic in gangrenosa fere inflammatione, cum summa utilitate, acidiora propinavi.* Non minoris propterea utilitatis in aestuantibus hisce biliosis febribus quod evadat speciale Citri decoctum, ab *Hadriano a Mynsicht* (139) propositum, concedendum est: cujus quidem haec est formula.

℞. *Malor. Citrior. cum corticibus in taleol. rotundas, ac tenues incisorum n. 3. vel 5.*
Sacchari albiss. uncias quatuor.
Aq. fontanae libr. sex.
Coquantur ad tertias; postea colentur: & decoctum clarum, instar vini, ad usum reponatur.

Nam

(138) Jo: Frideric. Bachstrom de Scorbuti natura &c.
(139) Hadrian. a Mynsicht Thesaur. Medic. Chym. Sect. 25.

Nam decoctum hoc aeque gratum Aegrotis cum evadat, pro potu etiam ordinario iis suppeditari poterit. Neque quidquam Auctoris hujusce sententiae se aliquis opponet, qui, Citriorum loco, mala Limonia potius ad hoc usurpari jubeat, praecipue quia haec illis aciditate maxime praestant; imo etiam quia utrosque fructus inter ea remedia *Lazarus Riverius* (140) recenset, *quae proprietate specifica venenatam qualitatem oppugnant, alexipharmaca vulgo dicta*.

Cum itaque concedamus, Acetum prodesse maxime in recensitis morbis, uti in aliis plurimis, in quibus effraenis humorum aestus, eorumque venenata, ut ita dicam, qualitas dominatur: id ipsum potiore jure, ob allatas rationes, de Limoniorum succo asserendum erit. Qua porro servata norma, par de iis ferre judicium possumus, quae Lucensis Clar. Medicus *Joseph Benvenuti* (141) de Aceti peculiaribus viribus, ad quamplures sanandos morbos, summatim proposuit. Neque ut fusius Aceti praestantiam evincam ultra, necessum esse reor, ut alii multi hic recenseantur Auctores, qui plurimum utilissimo huic remedio fidunt. Illud enim ad institutum nostrum, ni fallor, interest, ut, simulac ex dictis evicimus, utilem aeque ac opportunum in Arte nostra multoties evadere Aceti usum, cuique pateat, in eo praecipue, potius quam in Limoniorum succo, principium quoddam acre vigere, propter quod aliquando, nec raro, laedi hinc Aegroti queant; nisi ab hoc magis, quam a fragrante Limoniorum succo ii abhorreant: uti persaepe observavi. Quibus omnibus adamussim perpensis, nemo, ut arbitror, *Ebembitar* assentiri renuet, quod, eo quia Acetum, ob acrimoniam

(140) Lazar. River. Prax. Medic. lib. 17. cap. 1.
(141) Joseph Benvenuti de Aceto Vini Commentar.

moniam suam, & Stomachum, & Intestina quadantenus irritat, atque debilitat: ita *& in juvamento amborum, scilicet Stomachi, & Intestinorum*, Limoniorum succus *nobilitatem habet, & virtutem, quae in Aceto non reperitur*: id, quod & in aliis morbis, de quibus supra per transennam egimus, verum utique est. Ii propterea, qui hoc succo (pro ut specialis cujusvis morbi ratio postulat) abunde utuntur, non indigent Acetoso Syrupo, cujus quidem excellentiam speciatim admirari solebant Antiqui Medentes in iis morbis, quibus ejus usum summopere convenire, ipsi putabant.



CAPUT

CAPUT III.

ARTICULUS X.

Quod Malorum Limoniorum ſuccus pro nutriendo Corpore nihil valet.



I ea, quibus veſcimur, ideo magis Corpus nutriunt, quia citius, & melius, actione Ventriculi, in optimum Chylum abeunt: quae ſcilicet iis magis ſcatent particulis, quae facilius venarum lactearum oſtiola pervadere, ſanguini intime magis immiſceri, atque denique, nutriendis partibus adhaerendo, congruum ſuppeditare pabulum natae ſunt: hinc facile cuique erit deducere, quod Limonia mala nutriendo Corpori nil pene conducant. Atque hoc aeque verum eſt, tam ſi ſermo ſit de integro comeſto hoc fructu, quam de ſingulis ejus partibus, ſi eae unquam aſſumantur ſeorſim. Et ſane Limoniorum expreſſus ſuccus, craſſis, & glutinoſis ſuis ſpoliatus partibus, veluti aqueus, tenuiſque humor habendus eſt; cui ideo nutriens ea dumtaxat facultas inſit, quae in aqua ſimplici viget: niſi volatiles, atque odoras eas moleculas attendamus, quibus fragrantiſſimum ejus oleum praeditum eſſe demonſtravimus; quae nempe Ventriculum mirifice roborant. Aſt longe minus etiam, quam aqua ſimplex, enutriens dicendus eſt iſte ſuccus: quippe quod incidens, & penetrans magis, quam illa, ipſe eſt, ideoque per Renes praecipue trajectus, abunde urinas ciet, citoque adeo e Corpore prodit, ut vix minima pars ejus ſuperſit, quae, ſumma tenuitate ſua, a partibus illico ſe-

cedit: cum nihil fere in se habeat roridi glutinis illius, quo tam solida, quam fluida satis reficiuntur. Vis insuper summa refrigerans, qua succus iste pollet, actioni coctionis in Ventriculo minime favet, praecipue si sincerus ille ebibatur. Eapropter interesse maxime diximus, quod iste succus raro purus, & nonnisi in parva copia usurpetur, atque tunc solummodo, cum hoc revera necessarium sit, ut gravi alicui prospiciamus symptomati, cui ipse conveniat. Itaque generatim optimum illud esse consilium innuimus, quod ipse, congrua addita Aquae copia, contemperetur, ut saepe, & abunde magis usuveniat. Intima vero cellulosa Limoniorum substantia, quae succum una cum seminibus in se continet, cum ex tenacibus coalescat filamentis, quae digestivam Ventriculi vim eludunt penitus, eo minus alendo Corpori apta est: atque idem de interna corticis parte dicimus, quae caro nominatur. Tenuissimus autem cortex ille, coloris citrini, fructus hosce extrinsecus investiens, si vere aliquid, quod Corpus enutriat, in eo admittendum sit; id erit ob volatile fragrantissimum illud oleum, quod inde exhalat, atque vitalem potius vim excitat, quam quod Corpori nutrimentum adferat. Verumtamen ejuscemodi volatilis spiritus abundat magis in flavedine Citri, quam in Limoniorum extimo illo cortice: propter quod fit, ut Citri fructus odore longe magis, quam Limonii, praediti sint. Quod quidem volatile oleum si a Limoniorum flavo cortice demas, quod superest, id nullo modo Corpus reficit. Hoc autem ex eo passim evincitur, quod, dum cortices istos comedimus, ii in ore detenti, dentibusque contriti, suaveolentem efficiunt halitum, & oris foetorem tollunt: in cavitate demum Ventriculi commorantes, eum aggravant, & frequentem eructationem illam excitant, quae assumptorum eorumdem corticum exhalationes diu nimis nobis adfert. Idcirco, ut de hoc

paucis

paucis dicam, quod ſentio: ſat erit ea in propoſitum adjicere, quae de Citro *Paulus Aegineta* ita adnotat (142): *Citrii mali externa pars acris eſt, & difficulter concoquitur: quae vero velut caro ipſius eſt, nutrit quidem, ſed & ipſa aegre concoquitur: & interna pars, ſive acida, ſive aquea fuerit, multum frigefacit*. Quae ſi Limoniis malis rationabiliter aptentur, haud amplius in hoc immorandum erit, ut alia Auctorum teſtimonia proferam.



(142) Paulus Aegineta de Re Medica lib. 1. cap. 81.

Ex Manuscripto Cremonensi.

IN semine autem Limonis est virtus bezahardica quod resistit & contrariatur venenis sicut illa quae est in semine Citri verum est debilior parumper quam ea quae est in semine Citri; & dosis seminum praedictorum est ab aureo uno usque 3. ij excorticato & assumatur aut cum vino aut cum aqua calida.

Ex Editione Veneta.

IN semine vero Limonis est virtus bezahartica, quae resistit & contrariatur venenis, sicut illa, quae est in semine Citri. Verum est debilior parumper quam ea quae est in semine Citri, & dosis seminum praedictorum est, ab aureo uno usque 3. ij. excorticato, & assumatur aut cum vino, aut cum aqua calida.

Idem extat in Editione Parisiensi.

CAPUT IV.

De virtutibus Seminum Limoniorum.



Amdem servans normam, qua *Ebembitar* seminum Limoniorum facultates nobis indicat, ut ego quoque id ipsum praestem, facta scilicet istorum cum iis, quae a Citriis emergunt, opportuna comparatione, quanti in usum Medicinae haberi consuescant Citriorum semina, primum conside-

considerabo. Circa hoc autem, ut antiquorum praesertim Auctorum opinionem in propatulo ponam, ea satis erit referre, quae diligentissimus *Matthaeus Silvaticus* (143) a *Galeno*, *Dioscoride*, *Avicenna*, *Serapione*, *Paulo*, & *Rabi Moyse* deprompsit. Horum itaque fretus auctoritate, dum de seminum Citri proprietatibus agit, dicit, quod illa Pirorum semini, quod ad formam, similia sunt, amara, diaphoretica, resolventia, atque siccantia, in secundo, ut ait, gradu, eodemque modo calida. Si ea cum vino, aut aqua tepida sumantur, ad dosim aurei unius, aut duarum drachmarum, *habent potestatem contra Medicinas mortiferas*, *laxant Ventrem*, & conferunt venenis, quibus resistunt, atque iis, quae *proprie Scorpionis* sunt: quorum insuper ictibus medentur, si iis illiniatur affecta pars. Haemorrhoidibus etiam succurrunt. Quae confirmantur ultra testimoniis *VVeckeri*, *Matthioli*, *Pisanelli*, *Castor Duranti*, *Junckeri*, & aliorum quamplurium. Prae caeteris *Geoffroy* (144) ita de iis sentit. *In quibusdam compositionibus alexiteriis usurpantur. Ventriculi, & Intestinorum vermes enecant, menses provocant, flatus discutiunt, humores viscidos attenuant, & dividunt. Ex hisce emulsiones conficiuntur vermifugae, & cardiacae in morbis mali moris, & pestilentibus.* Aliorum quoque fretus auctoritate *Paulus Gullielmus Schmidt*, (145) praeter vim bezaharticam, diaphoreticam, & alexipharmacam, ob quam malignitati (uti ajunt) resistunt, dicit quod Citri semina egregii sunt usus in Petechialibus febribus, & morbillis; quod Ventriculi robori conferunt, vermes enecant, & gravidarum praecipue vomitui opitulantur, simulque tam intra, quam extra adhibita, venenatorum Animalium ictibus auxilium

(143) Matthaeus Silvatic. in Pandect. cap. 345.
(144) Geoffroy Tom. 2. Mater. Medic. Part. 2.
(145) Paul. Gullielm. Schmidt Dissert. de praest. mal. Citr.

xilium praestant. *Lanzonus* (146) etiam animadvertit; *Citri semen in emulsionibus conferre verminantibus pueris, & vomitus gravidarum compescere*. Quamobrem nil mirum est, quod adeo etiam apud vulgares faeminas invaluerit opinio, quod emulsiones, ex hisce seminibus confectae, hystericis omnibus, atque eo magis illis, quae Uterum gerunt, utiles sint; quotiescunque in hisce vel languet Stomachus, vel flatibus turget, aut aliae iis accidunt cardialgicae passiones, ob nervorum irritationem factae. Tantumque huic remedio tunc mulieres fidunt, perinde ac si nullum aliud efficacius usurpari queat, cujus ope citius leventur: cui opinioni quod experientia ipsa faveat, haud raro observamus. Fortassis enim, ob aromaticam, qua pollent, amaritiem, id ea praestare posse creduntur: eo quia in iis circumstantiis ejuscemodi mulieres, si dulcia assumant, eo pejus se habent. Cum ergo haec semina Stomacho languenti praesertim suppetias ferant, ea in meraco vino infusa, una cum aromaticis, (quas excalefacientes dicimus) herbis, & radicibus, addito Chalybe, & quandoque etiam Rhabarbaro, optimum efficiunt medicatum vinum, quod deficientes ciet menses, obstructiones tollit, simulac mucosos, viscidosque dissolvit humores, atque laxatis solidorum fibrillis tonum addit. Propterea dum faeminae Chlorosi detentae, Cachecticum obtinent Corporis habitum, non aliter citius, & melius convalescunt, apparentibus exinde menstruis excretionibus, quam hujusmodi vini ope, cujus congruam dosim quotidie capiant in prandio, & coena; illud diu continuando, praevio etiam purgante remedio, si opus sit. Utilia demum sunt hæc semina, cum in potionibus solventibus infusa, Stomacho prospiciunt, ne ab iis laedatur, aut fatigetur nimis.

Cum

(146) Joseph Lanzon. Citrologia cap. 2.

Cum itaque Citri semina, ab iis, quae a Limoniis eruuntur, tam quod ad formam, quam quod ad substantiam, aut saporem, nihil pene differant, concedendum erit, quod haec pariter, ac illa, iisdem propemodum facultatibus valeant, etsi aliquantisper debilius; ut *Ebembitar* indicavit. Quamobrem utraque haec semina non immerito simul aliquando commiscentur, ut ex hisce specialia conficiantur composita medicamenta. Ex quibus plurimis, quae apud Auctores recensentur, unum seligam pulverem, a praecitato *Schmidt* indicatum, quem, *Cratone* teste, contra vermes efficacem esse censet: cujus haec est descriptio.

℞. *Coriand. praeparator. unc. semis.*
Semin. Portulacae, Citri,
Limonior. an. drachm. duas.
Zedoariae drachm. unam.
Corn. Cervi usti unc. unam.
Misce, fiat pulvis, cujus dosis erit drachma dimidia.



Ex Manuscripto Cremonensi.

LImones autem falsi quando assiduatur eorum comestio bonificant odorem ejus & eructationis & confortant Stomachum & removent humectacionem ejus & adjuvant ad bonitatem alistimbre & digestionis ciborum grossorum & removent ucham ipsorum idest nauseam seu relaxationem & malam qualitatem ab eis causatam & eorum corruptionem : & confortant cor & hepar : & aperiunt opilationes renum & provocant urinam : & conferunt multis aegritudinibus frigidis sicuti est paralysis & molificatio : & resistunt venenis & rebus venenosis seu venenatis.

Ex editione Veneta.

LImones autem falsi quando assiduatur eorum comestio bonificant odorem oris, & eructationis, & confortant Stomachum, & removent humectationem ejus, & adjuvant ad bonitatem alistimbre, & digestionis ciborum grossorum, & removent ucham ipsorum, idest nauseam, seu relaxationem, seu malam qualitatem ipsorum, aut eorum corruptionem : & confortant cor, & hepar, & aperiunt opilationes renum, & provocant urinam, & conferunt multis aegritudinibus frigidis sicut est paralysis, &

molli-

mollificatio, & resistunt venenis & rebus venenosis seu venenatis.

Ex editione Parisiensi.

LImones autem salsi quando assiduatur eorum comestio bonificant odorem oris, & eructationis, confortant Stomachum, & removent humectationem ejus, & adjuvant ad bonitatem alistimbre idest digestionis, & praecipue ciborum grossorum, & removent nauseam, seu relaxationem ipsorum quam ipsi cibi causant, & malam qualitatem ab eis causatam, & corruptionem ipsorum, & confortant cor, & hepar, & aperiunt oppilationes renum, & provocant urinam, & conferunt multis aegritudinibus frigidis, sicut est paralysis, & mollificatio, & resistunt venenis, & rebus venenosis & venenatis.

CAPUT V.

De Limoniis salitis.



Cum de salitis Limoniis hic *Ebembitar* agat, eorum praeparationes mihi videtur intelligere, quae data opera fiunt passim, ut isti fructus conserventur diu, ad parandas mensas, una cum aliis omnigenis bellariis: quae praeparationes *conditurae* vulgo dicuntur. Neque vero mihi satis persuadeo, quod solo iis addito

sale, nec ulla alia facta eorum confectione, fructus isti bene adeo condiantur, ut ad eos usus ita asservati, effectus illos revera praestent, quos Arabicus Auctor accurate hic commemorat. Si quid itaque efficit sal, Limoniis malis adjectum, ut inde meliores evadant, hoc eo quidem modo, quod eveniat, asserendum erit, quo a Pharmacopolis nostris vulgaris ea fructuum conditura fit, quae communiter *Mostarda* dicitur. Primo namque fructus, qui ad hoc usurpantur, asperso sale eo usque asservant, donec ejus ope, quidquid aquae in interstitiis eorum adfuerit, penitus educatur, illudque remaneat tantum, quod volatile, oleosum, seu mavis, aromaticum in iis vigeat: quo facto, congrua mellis, vel sacchari dosis adjungitur, quae pro perfecta ipsorum conditura serviat, ut incorrupti diuturno tempore conserventur. Ob eamdem rationem existimo, quod ad specialem corticum Citri efficiendam condituram, aliqui eorum cortices in lixivio mergi ad aliquot dies jubeant: cujusmodì est praeparatio illa, quam, ex Bononiensi Antidotario erutam, proponit *Anguisola*, (147) quam ego data opera hic subnectam. *Cortices Citri, carne purgati, lixivio claro merguntur diebus novem, mutato ad diem quintum; post merguntur aqua clara, donec, amaritudine deposita, dulcescant. Tunc aqua fontis plurima in vase mundo coquuntur, donec tenerescant, aquosa deinde substantia ab iis expressa, in vase lapideo merguntur horis 24. in Julapio sufficiente ex saccharo albo, & aqua tripla constante: post coquuntur igne lento ad penidiorum consistentiam. Extracti cortices ex hoc Julapio reponuntur in vase vitreo, superaffuso singulis vicissim Julapio rosato, cocto ad mediocrem crassitiem sacchari candefacti*. Hujusce vero conditurae eam facultatem esse docet, ut Cor, & Ventriculum mirum

(147) Anton. Anguisola Compend. simpl., & compos. Medicam.

mirum in modum reficiat, & roboret, coctionem juvet, orisque halitum emendet. Alias quoque corticum Citri simpliciores condituras recenset *Mesve* (148), ob quas emergens conditus cortex, *Cerebrum, Cor, Stomachum, & reliquum etiam Ventriculum, si frigida intemperie laborant, calore aromatico roborant*. Ipse praeterea cortex ita praeparatus, *sive humidus, sive siccatus, diligenter mansus, & ore detentus, vel deglutitus*, quia est odore suavi praeditus, *tantum oris halitum tegit, & obtundit, praesertim qui a corruptis in Ventriculo humoribus affertur*. Alias omitto corticum Citri condituras, quae vulgaribus etiam hominibus illis notae sunt, qui caeteris parandis bellariis incumbunt, in usus lautioris mensae, ut assidentibus satisfaciant. Quae sane omnia valent, etiamsi ad hasce perficiendas condituras, loco Citriorum malorum, Limonia fuerint usurpata, ac ea maxime, quae succrescunt ex Limoniorum surculis, Citro insitis: quippe quia cum hisce, quod ad facultates suas, ea magis tunc conveniunt; uti clarius patebit ex sequenti Capite. Utcunque vero, sive primum sale inspersa, sive non, opportuna tamen conditura, pro lubito parata sint Limonia mala; eos nihilominus praestare effectus poterunt, quos in hoc Capite merito recenset *Ebembitar*: atque id praecipue, si eorum cortices ad hoc adhibiti sint. Aliam addam Limoniorum praeparationem, cum sale factam, quam apud Genuenses usuvenire *Pisanellus*, & *Castor Durantus* testantur, quae nedum gustui grata dicitur esse, sed etiam utilis ad excitandum appetitum, & expellendos calculos, & arenulas. Ii parva Limonia in taleolas incidunt, sale aspergunt, adduntque postea Rosarum aquam cum saccharo: quae, ita parata, comedunt una cum Carne, & Piscibus, ut gustui satisfaciant.

Ex

(148) Mesve de Syrupis lib. 1.

Ex Manuscripto Cremonensi.

DE Limonibus vero insertis dicamus quando ipsi inseruntur super Citrum. Et dicamus nos quod Limones qui tali insercione producuntur sic se habent quod virtus corticis ipsorum ex amaritudine & acuitate sua est major quam virtus corticum citri & diminuta est ab ea quae est in cortice Limonum. Et cum hoc in hujusmodi cortice Limonum insertorum est dulcedo pauca & propter hoc est in eo nutricatio quae non est in ambobus ipsorum praedictorum. Quare cortex praedictus Limonum insertorum est quid medium in operatione amborum scilicet Citri & Limonum.

Carnositas vero Limonum habet dulcedinem manifestam & moliciem apparentem & facilitatem disruptionis in partes & raritatem quae non est in carne Citri & propter hoc efficitur minoris frigiditatis & est magis proxima temperamento quam caro Citri & velocioris digestionis & levior super Stomachum quam sit caro Citri.

Acetositas vero hujus Limonis inserti est sicut acetositas Citri in omnibus suis dispositionibus & propter illud est conferens omnibus quibus confert

fert acetositas Citri. Et syrupus est sicut syrupus de acetositate Citri.

Ex editione Veneta.

DE Limonibus vero insertis dicamus, quod ipsi inseruntur super Citrum, & dicamus nos, quod Limones, qui tali insertione producuntur, sic se habent, quod virtus corticis ipsorum ex amaritudine, & acuitate sua, est major, quam virtus corticum Citri, & diminuta est ab ea, quae est in cortice Limoniorum, & cum hoc in hujusmodi cortice Limonum insertorum, est dulcedo pauca, quae non est in ambobus, scilicet in cortice Citri, & cortice Limonum, & propter hoc est in eo nutricatio, quae non est in ambobus ipsorum praedictis: quare cortex praedictus Limonum inserrorum est quid medium in operatione amborum, scilicet Citri, & Limonum, carnositas vero Limonum insertorum habet dulcedinem manifestam, & mollitiem apparentem, & facilitatem disruptionis in partes, & raritatem, quae non est in carne Citri, & propter hoc efficitur minoris frigiditatis, & est magis proxima temperamento, quam caro Citri, & velocioris digestionis, & levior super Stomachum, quam sit caro Citri: Acetositas vero hujus Limonis

nis inserti est sicut acetositas Citri in omnibus suis dispositionibus; & propter illud est conferens omnibus, quibus confert acetositas Citri, & ejus syrupus est sicut syrupus de acetositate Citri.

Ex editione Parisiensi.

DE Limonibus vero insertis dicatur qui inseruntur super Citrum, & dicamus nos, quod Limones, qui tali insertione producuntur, sic se habent, quod virtus corticis ipsorum ex amaritudine, & acuitate sua est major, quam virtus corticum Citri, & diminuta est ab ea quae est in cortice Limonum, & cum hoc in hujusmodi cortice Limonum insertorum est dulcedo pauca, & propter hoc est in eo nutricatio, quae non est in ambobus ipsorum, quasi cortex praedictus Limonum insertorum est quid medium in operatione amborum, scilicet Limonum, carnositas vero Limonum insertorum habet dulcedinem manifestam, & mollitiem apparentem, & facilitatem diruptionis in partes, & raritatem, quae non est in carne Citri, & propter hoc efficitur minoris frigiditatis, & magis proxima temperamento, quam caro Citri, & velocioris digestionis, & levioris super Stomachum, quam sit caro Citri. Acetositas vero hujus Limonis

monis inserti est sicut acetositas Citri, in omnibus suis dispositionibus, & propter illud est conferens omnibus, quibus confert acetositas Citri, & ejus syrupus est sicut syrupus de acetositate Citri.

CAPUT VI

De Limoniis insertis super Citrum.



Um Animalia diversae speciei, mas scilicet & faemina, simul coeunt, ea, quae inde generantur Animalia, quod ad specialem Corporum suorum constitutionem, eos utcunque praeseferunt characteres, ob quos utriusque coeuntis Animalis proprietates, & formam speciatim exhibent. Hoc Mulorum obvia satis generatio ostendit, quando nempe, coeunte Asino cum Equa, ea generantur mixta Animalia, quae eo indicantur nomine: sicuti & Hinnuli alia bruta dicuntur, quae ex Equo & Asina fuerint procreata. Nam utrinque progenita animalia illa, & Asini & Equi notas quoquo modo referunt; etiamsi vel nec Muli, nec Hinnuli, subinde nati, Equi vel Asini structuram, relate ad omnes partes, prorsus obtineant. Ast non modo coeuntibus diversae speciei Animalibus, verum etiam cum ejusdem speciei illa sint, diversimode tamen constructa, propter quod diversa etiam polleant Corporis temperie: ea, quae inde oriuntur Animalia, de utriusque Genitoris indole, seu potius proprietatibus ita plerumque participant, ut quid medium inter marem, & faeminam resultet. Atque

que hoc dum ut plurimum evenire observamus, miramur maxime, quod aeque facile Hermaphrodita non oriantur Animalia, quae sane rarissima sunt. Verum phoenomena haec, quae quidem nota cuique sunt, haud unquam satis explicari poterunt, sive uni, sive alteri generationis systemati, ex plurimis, quae ab Auctoribus nostris afferuntur, adhaerere quispiam velit. Illud tamen certum est, quod in hujuscemodi edendis effectibus, ita constans Natura videtur esse, quod ea, quae, in Animalium generatione, diximus evenire, suo quoque modo in vegetabilibus contingant: quotiescunque scilicet ex diversae speciei Arboribus avelluntur surculi, quorum super alias Arbores insitio fiat. Etenim inde, quae germinant plantae, mixtam, ut ita dicam, eae contrahunt indolem, seu potius structuram; propter quam cum iis, a quibus avulsae sunt, & cum aliis, quibus fuerunt insitae, relationem peculiarem habeant; sive folia, sive flores, sive fructus attendantur, aut alia denique, utriusque Arboris characteres indicantia. Quod porro plurimis adeo comprobatur experimentis, (quae ad nauseam usque possent singillatim adferri) ut in dubium revocari minime queat. Exinde vero quisque facile cognoscet, quam merito hic *Ebembitar* animadverterit, quod, quotiescunque mala Limonia inseruntur in Citria, eae succrescunt Arbores, a quibus oborti fructus eas una qualitates obtinent, quae seorsim Limoniorum, & Citriorum malorum propriae sunt; adeo tamen, ut eae adinvicem contemperatae quomodolibet sint. Eas itaque si modo consideremus, quas supra memoravimus, malorum Limoniorum a Citriis differentias, tam quod ad extimum corticem, & internam pulpam, quam quod ad contentum in iis succum; Auctori nostro fas erit concedere, quod enatus, post insitionem Citro, fructus iste,

eas praeseferat proprietates, quae ad utriusque fructus speciem suapte natura pertinent: quae tamen in unum quomodocunque coeuntes, quid medium, ut dicimus, utrinque repetant, ea simul aptum efficere, quae ad utramque plantam sint merito referenda. Quamobrem, habita utrorumque ratione, nemo sane inficiabitur, quod uti singuli fructus isti easdem pene facultates obtinent, ut Aegrotis plurifariam succurrant; ita & illud, quod ex praedicta insitione provenit, Limonium malum eo magis aptum iisdem usibus evadat: quod quidem ex eo potissimum eruitur, quod oleosum volatile principium (quo Citri cortices praecipue, uti diximus, pollent) acidam magis refrigerantem substantiam corrigere satis valeat, quae in Limoniis dominatur. Propterea enim, relate ad qualitates alias, in utroque distincte vigentes, hinc moderatum eveniet compositum, eo tutius evincendis morbis idoneum. Ea idcirco, quae, ob talem insitionem, evenient Limonia mala, caeteris aliis, quae simplicia sint, omni jure praeferenda erunt: nisi tamen peculiares vigeant circumstantiae, in quibus acidum Limoniorum potius, quam volatile Citriorum principium, vel contra potius hoc, quam illud necessarium utique sit: ad quod decernendum accurata rationalium Medicorum solertia requiritur. Verumtamen quia composita aeque inde prodeunt Limonia mala, tam si in haec inserantur Citria, quam viceversa: Peritorum in hac Arte judicio fretus, satius esse cum *Augustino Gallo* (149) puto, quod Limoniorum surculos in Citri arborem ingeramus: ut scilicet enati hinc fructus pulchriores aliis, Stomacho magis accomodati, nec non in caeteris proprietatibus suis longe praestantiores evadant.

Ex

(149) Giornata prima di M. Agostino Gallo.

Ex Manuſcripto Cremonenſi.

NUnc autem dicamus de ſyrupo de Limonibus ſimplici & eſt ille qui fit ex ſucco Limonum cum zucaro: & modus compoſitionis ejus eſt ſecundum hunc modum. Terratur zucarum & ponatur in lebete lapideo & eſt melius aut in olla vitreata bene: quod ſi non fuerit ibi praeſens ponatur in vaſe Aeneo linito cum ſtagno deinde proiciatur in eo ſuper quamlibet libram zucari pondus 3. iiij. vel CC. lactis noviter mulcti: Et ſi non fuerit lac praeſens tunc ponatur albumen ovi & conquaſſetur cum eo zucarum permixtione ſeu agitacione bona, deinde proiciatur ſuper eum aqua quantitate ſufficienti & moveatur quouſque diſsolvatur deinde ſuper ignem ponatur & melior ignis eſt ignis de carbonibus & dimittatur ſuper ignem quouſque ex ebulitione ſeparetur & ellevata ſit ſuperius ſpuma ipſius tota deinde properet ad removendum & proiciendum eam ut ipſa non ſumergatur videlicet profundetur poſtea dequoquatur quouſque approximetur coagulationi vel inſpiſſationi deinde proiciatur aliquid aquae Limonum ſeu aliquid ſucci Limonum expreſſorum ſuper aliquid zucari ut non fiat amarus; Et acetóſitas ſyrupi praedicti ſit ſecundum quantitatem qua ſapor ejus

ejus delectet administrantem seu assumentem ipsum; nam ex hominibus sunt quibus conveniens est qui ex eo est paucae acetositatis, & ex eis sunt quibus conveniens est acetositas multa seu manifesta.

Illud vero quod de eo currit consuetudo apud plurimos homines & apud Ypotecarios Aegyptios est quod super quamlibet libram zucari proiciunt tres aut quatuor uncias succi Limonum deinde decoquatur quo usque redeat ad substantiam suam quam prius habebat ante projectionem succi Limonum super ipsum postea alevietur ignis sub eo & decoquatur quousque perveniat ad bonam & completam spissitudinem seu substantiam quae securet ipsum a corruptione ipsius & removeatur ab igne & conservetur; & ex hominibus sunt qui intendunt bonificare colorem hujusmodi syrupi quia in hora decoctionis syrupi considerant & inspiciunt accipiendo aliquid ex eo in vase vitreo claro hora post horam & considerant colorem ejus si enim color fuerit bonus conformis intentioni ipsorum complent ejus decoctionem & conservant, & si non spargunt super eum aquam claram solam aut permixtam cum pauco albuminis ovi; & dimittunt eum parumper deinde experiuntur sicut

dictum est ante: quod si adhuc color syrupi non fuerit bonus tunc reiterant aspersionem aquae super eum & non cessant facere hoc donec adveniat secundum intentionem suam; Et manifestum est quod haec operatio reiterandae aspersionis aquae debilitat virtutem syrupi. Iste igitur est melior modus faciendi syrupum de Limonibus & manifestum est quod hujusmodi syrupus confert omnibus juvamentis succi quem diximus nisi quod non confert impetigini & morfeae & pano sicut confert succus Limonum. Verum nos dicemus hic juvamenta hujus syrupi secundum viam aliam & non curabimus replicare quaedam quae jam praediximus.

Ex editione Veneta.

NUnc autem dicamus de syrupo de Limonibus simplici, & est ille, qui fit ex succo Limonum cum zucharo, & modus compositionis ejus est secundum hunc modum. Teratur zucharum, & ponatur in lebete lapideo, & est melius aut in olla vitreata bona, quod si non fuerit tibi praesens, ponatur in vase aeneo, linito cum stagno, deinde projiciatur in eo super quamlibet libram zuchari pondus 3. iiij., vel circa lactis noviter mulcti, & si non fuerit lac prae-

praefens tunc ponatur albumen ovi, & conquaffetur cum eo zucharum permixtione, feu agitatione bona, deinde projiciatur fuper eum aqua quantitate fufficienti, & moveatur, quoufque diffolvatur, deinde fuper ignem ponatur, & melior eft ignis de carbonibus, & dimittatur fuper ignem, quoufque ex ebullitione feparetur, & elevata fit fuperius fpuma ipfius tota, deinde properet ad removendum & projiciendum eam, ut ipfa non fubmergatur, vel profundetur, poftea decoquatur, quoufque approximetur coagulationi, vel infpiffationi, deinde projiciatur aliquid aquae Limonum, feu aliquid fucci Limonum expreffforum fuper aliquid zuchari: ut non fiat amarus, & acetofitas fyrupi praedicti fit fecundum quantitatem, qua fapor ejus delectet adminiftrantem, feu affumentem ipfum. Nam ex hominibus funt, quibus conveniens eft, qui ex eo eft paucae acetofitatis, & ex eis funt, quibus conveniens eft acetofitas multa, feu manifefta. Illud vero, quod de eo currit confuetudo apud plurimos homines, & apud Apothecarios Aegyptios, eft, quod fuper quamlibet libram zuchari projiciunt tres, aut quatuor uncias fucci Limonum, deinde decoquatur, quoufque redeat ad fubftantiam fuam, quam prius habebat ante

projectionem ſucci Limonum ſuper ipſum, poſtea allevietur ignis ſub eo, & decoquatur quouſque perveniat ad bonam, & completam ſpiſſitudinem, ſeu ſubſtantiam, quae ſecuret ipſum a corruptione ipſius, & removeatur ab igne, & conſervetur. Et ex hominibus ſunt, qui intendunt bonificare colorem hujuſmodi ſyrupi: quare in hora decoctionis ſyrupi conſiderant, & inſpiciunt accipiendo aliquid ex eo in vaſe vitreo claro, hora poſt horam, & conſiderant colorem ejus. Si enim color fuerit bonus, conformis intentioni ipſorum, complent ejus decoctionem, & conſervant, & ſi non, ſpargunt ſuper eum aquam claram, ſolam, aut permixtam, cum pauco albuminis ovi, & dimittunt eum parumper, deinde experiuntur, ſicut dictum eſt ante; quod ſi adhuc color ſyrupi non fuerit bonus, tunc reiterant aſperſionem aquae ſuper eum, & non ceſſant facere hoc, donec adveniat ſecundum intentionem ſuam. Et manifeſtum eſt, quod haec operatio reiterandae aſperſionis aquae, debilitat virtutem ſyrupi. Iſte igitur eſt melior modus faciendi ſyrupum de Limonibus, & manifeſtum eſt, quod hujuſmodi ſyrupus confert omnibus juvamentis ſucci, quae diximus, niſi quod non confert im-

petigini,

petigini, & morfeae, & pano, ficut confert fuccus Limonum; verum nos dicemus hic juvamenta hujus fyrupi fecundum viam aliam, & non curabimus replicare quaedam, quae praediximus.

Ex editione Parifienfi.

NUnc autem dicamus de fyrupo de Limonibus fimplici, & eft ille qui fit ex fucco Limonum cum faccharo, & modus compofitionis eft fecundum hunc modum. Teratur faccharum, & ponatur in lebete lapideo, & eft melius: aut in olla bene vitriata, quod fi non fuerit ibi praefens, ponatur in vafe aeneo linito cum ftagno, deinde projiciatur in eo fuper quamlibet libram facchari, pondus ʒ. iij. vel circa lactis noviter mulcti: fi non fuerit lac praefens, tunc ponatur albumen ovi, & agitetur cum eo faccharum permixtione, feu agitatione bona, deinde projiciatur fuper eum aqua quantitate fufficienti, & moveatur quoufque diffolvatur, deinde fuper ignem ponatur, & melior ignis eft ignis carbonum, & dimittatur fuper ignem quoufque ex ebulitione feparetur, & elevata fit fuperius fpuma ipfius tota, deinde properet ad removendum, & projiciendum eam, ut ipfa non fubmergatur, vel profundatur, & poftea decoquatur quoufque approximetur coagulationi, vel

 infpif-

inspissationi, deinde projiciatur aliquid aquae Limonum, seu aliquid succi Limonum expressorum super aliquid sacchari, ut non fiat amarus, & acetositas syrupi praedicti sit secundum quantitatem, qua sapor ejus delectet administrantem, seu assumentem ipsum, nam ex hominibus sunt, quibus conveniens est acetositas multa, seu manifesta. Illud vero quod de eo occurrit consuetudo, apud plurimos homines, & apud Pharmacopolas Aegyptios est quod super quamlibet libram sacchari, projiciunt tres aut quatuor uncias succi Limonum, deinde decoquatur quousque redeat ab substantiam suam, quam prius habebat ante projectionem succi Limonum super ipsum, postea allevietur ignis sub eo, & decoquatur quousque acquisierit bonam, & completam spissitudinem, seu substantiam, quae securum reddit ipsum a corruptione ipsius, & ex hominibus sunt, qui intendunt bonificare colorem hujusmodi syrupi, quasi in hora decoctionis syrupi considerant, & inspiciunt accipiendo aliquid ex eo in vase vitreo claro, hora post horam, & considerant colorem ejus: si enim color fuerit bonus, conformis intentioni ipsorum, complent ejus decoctionem, & conservant: & si non, spargunt super eum aquam claram solam, aut permix-

Haec sententia apud me suspecta est; nam totū oppositum crede mihi, ut scilicet libra succi exigat uncias tres, vel quatuor sacchari.

permixtam cum pauco albuminis ovi, & dimittunt eum parumper: & deinde experimentant ipsum sicut dictum est ante: quodsi adhuc color syrupi non fuerit bonus, tunc reiterant aspersionem aquae super eum: & non cessant facere hoc, donec adveniat secundum intentionem suam, & manifestum est quod haec operatio reiterandae aspersionis aquae debilitat virtutem syrupi. Iste igitur est melior modus faciendi syrupum de Limonibus, & manifestum est, quod hujusmodi syrupus confert omnibus juvamentis succi, quae diximus, nisi quod non confert impetigini, & morpheae, & panno: sicut confert succus Limonum: verum nos dicemus hic juvamentum hujus syrupi, secundum viam aliam, & non curabimus replicare quaedam, quae praediximus.

CAPUT VII.

De Syrupo de Limoniis.



SI *Danieli le Clerc* (150) adhibenda fides est, Arabes Medici, prae aliis, primi saccharum, loco mellis, ad quamplurima conficienda composita pharmaca usurparunt; unde & primam Syruporum praeparationem iis ipse attribuit. Ita enim non modo Aegrotorum utilitati,

 verum

(150) Histoire de la Medecine par Daniel le Clerc.

verum etiam gustui consulere visi sunt; atque insuper ut vegetabilium succos, & fructus a corruptione diu praeservarent. Id ipsum sentit *Petrus Poterius*, (151) ita scribens: *Syrupi appellatio Hippocrati, & Galeno omnino ignota fuit. Id medicamenti genus jamdudum in Artem invexerunt Arabes, saccharo maxime reperto. Etenim licet perobscura sint ejus inventionis vestigia, ut apud M. Varronem, ejus tamen usus non erat notus, & praesertim Medicis.* Alioquin *Galenus* in rebus sibi *notis haud mutus, id silentio non involvisset.* Verum *Syrupi* nomen Graecum ne sit, ab *Opos & Syro, vel potius, a Syria & Otos, quod est liquor ex Syria, unde primum delatum saccharum, parum refert. Constat succum esse, vel decoctum saccharo conditum ad certam crassitudinem.* Anteaquam autem *Ebembitar* de specialibus iis proprietatibus edisserat, quibus Syrupus e malis Limoniis pollet, modum primo patefacit, quo ipse conficiendus sit, ut perfectior evadat, eaque caute vitentur, quae congruae ipsius praeparationi quomodolibet obstant. Ut itaque Syrupus iste paretur, excoqui primum jubet saccharum (antea, uti oportet, clarificatum) ad consistentiam debitam, cui subinde addatur succi Limoniorum, expressi super aliquid sacchari, ea copia, quae satis sit, ut illum aciditatis gradum acquirat, qui convenire merito videatur, tam relate ad assumentium gustum, quam relate ad Syrupi ipsius facultatem, & acuitatem. Huic insuper alium addit modum, apud Aegyptios familiarem, quod scilicet pro qualibet libra sacchari tres, quatuorve succi Limoniorum unciae commisceantur, ut inde coquantur ad opportunam consistentiam: identidem animadvertendo, num opus sit aquam ipsi addere, ut rite coloratus emergat: atque modus iste veluti melior ab ipso habetur.

(151) Petr. Poterius Pharmac. Spargyr. lib. 3. Sec. 2.

habetur. Eadem pene norma, atque utroque modo Syrupum hunc confici posse, praecitatus admonet Poterius: quod etiam pro arbitrio faciunt Pharmacopolae nostri, qui caeteroquin minorem sacchari dosim ut plurimum adjiciunt. Quomodolibet autem parare eum quispiam malit, illud maxime requiritur, ut, si diu Syrupus iste asservandus sit, ad crassiorem consistentiam coquatur, ac eo magis Aestatis tempore; cavendo etiam, *ne nimium coquatur, alias facile* concrescit: uti in annotationibus ad *Poterium* animadvertit *Hoffmannus*. Atque ad evitandam hujusce succi concretionem, ea non negligenda videtur cautela, quam apposite *Gesnerus* (152) opportunam existimat esse, ut ex hujuscemodi acidis succis Syrupi conficiantur: quod scilicet succi primo *per pannum, seu filtrum* trajiciantur, *alioquin coagulantur, cum refrixerint*: idque tam in acido Citri succo, quam in succo Limoniorum, & Aurantiorum servandum propterea esse monet. Atque circa haec nil ultra habeo, quod adferam: cum de eo agatur, quod vulgaribus etiam Pharmacopolis satis superque notum est; quorum alii nempe, pro conficiendo hoc Syrupo, unam, alii alteram methodum, uti iis placet, seligunt. Omnibus tamen aeque notum est, quanti referat, ut acidi praesertim hujusce Syrupi coctio in figulinis vitriatis vasis fiat, non autem in aeneis, nisi probe stanno ea sint illinita. Nam in hisce, uti & in re culinaria, quam periculosus sit aeneorum vasorum usus, innumerae testantur observationes, quarum plurimae ab eruditissimo *Ignatio Vari* Publico Ferrariensi Professore typis nuperrime fuerunt vulgatae; praeter alia, quae, Praeside *M. Camillo Falconet*, in Parisiensi Academia circa hoc discussa, recenset praelaudatus *Benvenutus* (153) Quaestione XV. Ex

(152) Evonim. Conrad. Gesner. Remed. Secret. lib. 1.
(153) Dissertationes, & Quaestiones Medicae.

DIcamus ergo quod quando homo assumit aliquid ex hoc syrupo parum post parum degluttiendo abstergit illud quod reperit in gutture & gula & in meri & in stomaco de humoribus colericis grossis de flegmatibus viscosis & incidit ea & subtiliat ipsa & adjuvat ad ascendendum ad superius illud quod debet egredi per eam partem scilicet per vomitum & facit descendere illud quod debet descendere per inferius per secessum & humectat siccitatem oris & exsicationem linguae & palati & sitim abscindit; & si assumatur syrupus secundum modum praedictum post bibitionem vini minorat vapores & confert ebrietati & si sumatur in ore syrupus praedictus & deglutiatur parumper parumper & fiat cum eo gargarisma confert apostematibus gutturis: & duarum amigdalarum: & uvulae & squinantiae: & minorat effusionem materierum quae ad ipsa effunduntur: & aperit guttur & facilitat deglutionem & quando fit illa deglutio paulatina & gargarisma praedictum & fuerit syrupus hujusmodi calefactus supra tepiditatem parumper tunc incisio humorum viscosorum & juvamentum ad squinantiam causatam ab humoribus grossis erunt magis ultima & fortiora; Et confert spasmo stomatico

matico humido conjuncto cum febre; Et solvit seu removet gravitatem seu impedimentum linguae prohibens ipsam a locutione: & confert praecipue spasmo infantium & puerorum accidenti eis apud prolongationem febrium ipsorum & retentionem videlicet stipticitatem ventris ipsorum. In hoc enim non habet compar praecipue quando talis syrupus fit cum siracost aut tereniabin loco zucari quum juvamentum in ipsis quum hoc quod addit lenitatem ventris est majus & perfectius. Qui si ponatur in ore & dimittatur in eo donec molificetur lacertus gutturis & illud quod ex eo dissolvitur in ore dimittatur descendere paulatim & resudare in cannam pulmonis absque deglutione praecipue quod de hujuscemodi syrupo est inspissatum per se & aliqualiter granulosum in modum arenae abluit cannam pulmonis & abstergit eam & lenit asperitatem ejus praecipue quando cum eo miscetur parum olei amigdalarum dulcium; Et confert tussi factae a catarris & a materiis grossis viscosis & facilitat sputum ejus quod in pectore aggregatum est: praecipue si addatur cum eo parum succi liquiritiae boni: & cum eo fit juvamentum in patientibus sosati & pleuresim quando in eis est sputum difficile propter grossitiem & viscosita-

tem

tem materiae & quando ſyrupus praedictus bibitur permixtus cum aqua frigida ſedat ſitim & excitat virtutem & vivificat eam propter nutricationem quae eſt in eo acquiſita ex zucaro & contemperat complexionem & confortat membra intrinſeca & infrigidat inflammationem ſtomaci & epatis & ſedat furiam febrium acutarum praecipue ſi addatur ei juleb factum cum aqua roſata odorifera & comminutum fuerit in eo granum unum aut duo grana camphorae alfanfuri quando additum fuerit in eo aliquid mucilaginis pſilii ſicut aut emulſio quorumdam ſeminum frigidorum ſeminum portulacae & ſeminis cucumeris aut citruli & reprimit acuitatem colerae citrinae quando acetoſitas hujuſcemodi ſyrupi fuerit manifeſta, & extinguit inflam̃ationem ejus & ſedat ejus furiam vel commotionem & facilitat evacuationem ejus quod per vomitum oportet evacuari & facilitat reſolutionem totius quod in ea oportet reſolvi vel finiri quia frangit qualitatem ejus, & malitiam ejus & nocumentum ejus propter inceſſum ſuum ſuper membrum: & abſtergit eam ſcilicet coleram: & removet anguſtiam ſtomaci & ſincopim: & triſticiam cauſatam ex ipſa colera: & liberat a fumis ſeu vaporibus colerae nigrae generatae ex aduſtione & ſedat caſacam cauſatum in febribus

&

& causatum ab humoribus acutis praecipue quando sumitur cum juleb supradicto aut cum rosis ipsis: & confert sodae: & vertigini: & scotomiae factae ex elevatione fumorum seu vaporum humorum praedictorum; Et abscindit colericam passionem & extinguit acuitatem sanguinis: & confert serae: & bothor sanguineis & colericis: & sedat maliciam vini vel ebrietatis: & quando bibitur syrupus praedictus permixtus cum aqua calida abluit stomacum: & abstergit ipsum: & facit descendere ad inferiora illud quod de humoribus & superfluitatibus cibi reperitur: & illud quando aqua fuerit vehementis caliditatis quantum bibenti sit possibile tolerare: Et facilitat egressionem earum per vomitum: & illud quando aqua fuerit tepida: & confert nauseae & subversioni animae & febribus antiquis generatis ex humoribus calidis & ex humoribus frigidis praecipue si decoquantur in illa aqua quaedam semina aut herbae subtiliantes provocantes urinam sicut camomila: & feniculus: & radices ejus: & semen ejus: & capillus veneris: & semen endiviae: quando enim patiens febrem interpolatam assumpserit eum in principio paroxismi aleviatur horripilatio, & rigor & facilitatur tolerantia ipsius praecipue si accidat vomitus post ejus assumptionem:

ptionem : Et vomitus etiam cum hujusmodi syrupo factus quando continuatur quibusdam diebus & reiteratur ante cibum confert plurimis doloribus juncturarum generatis ex materiis compositis ex flegmate & colera citrina; & quando assumere volens medicinam solutivam mondificantem corpus ejus a superfluitatibus bibit hujusmodi syrupum diebus quibusdam ante assumptionem medicinae solutivae : subtiliat materias aggregatas in corpore ejus & incidit viscositates earum : & abluit & abstergit eas in viis ipsarum & facilitat vias in quibus est opilatio : quare ex hoc disponit corpus ut in eo agant medicinae praecipue si decoquatur in aqua quarumdam medicinarum subtiliantium digerentium . Et quando sani assiduant ipsum syrupum praedictum tunc ab eo fit abstersio vel expulsio eorum quae sunt in stomaco de superfluitatibus digestionis ejus : Et mondificat vias epatis & bonificat digestionem ejus; & propter illud prohibet eum ab Aegritudinibus & malis dispositionibus : & conservat sanitatem ejus praecipue si cum hoc utatur exercitio ante cibum : & surgat a mensa cum reliquiis famis : & non repleatur cibo : Et quando homo assumpserit ipsum antequam datum sibi fuerit medicamen mortiferum tunc ipse expellit malitiam

tiam

tiam ejus: & resistit nocumento suo; Et quando ille cui datum est medicamen perniciosum assumit syrupum praedictum post evacuationem, omnium eorum quae sunt in stomaco factam cum vomitu vehementi seu sufficienti sumendo lac & butirum, & similia; resistit etiam nocumento ejus: & ipse syrupus est tyriaca veneni scorpionum de quibus supradictum est: & stat loco tyriacae magnae in liberando a morsu viperarum & serpentum & confert etiam veneno aliorum habentium venenum.

Cum idem pene sit hoc Caput in editione Veneta, ac Parisiensi, utriusque textus omittitur.

CAPUT VIII.

De juvamentis pluribus Syrupi de malis Limoniis.



A quae supra de succi Limoniorum miris, ac multiplicibus facultatibus Cap. 3. fuse differuimus, alia modo confirmant, quae de ejus Syrupi viribus indicavit *Ebembitar*. Attamen interest maxime, quod, utriusque hujusce remedii congrua prius facta comparatione, sedulo animadvertamus (quod uniuscujusque vires, & agendi modum) quidnam revera a simplici succo

succo

succo potius, quid ab ejus Syrupo sperandum merito sit, juxta allatas Auctoris nostri notiones. Atque imprimis, ut arbitror, inficiari nemo poterit, quod, uti ad hunc conficiendum Syrupum, ceu praecipuum remedium, Limoniorum succus requiritur; ita ab hoc ipso potissimae illius vires sint omnino repetendae. Quamobrem hinc facile quisque deducet, quod ideo minus ad agendum efficax sit habendus Limoniorum Syrupus, quam ejus succus seorsim (ut supra docuimus) usurpatus: quia iste, veluti simplex, sui juris (ut ita dicam) ad agendum semper permanet, secus ac de Syrupo verum comperitur esse; ad quem scilicet parandum una saccharum requiritur, quod succi ipsius vires haud parum coercet, aut saltem attemperat maxime. Praeterquamquod saccharum hujusce succi vim tunc imminuit, tenuiores ejus particulas irretiendo; addendum insuper est, quod, dum, ignis ope, Syrupus conficitur, earum molecularum magna pars avolat, atque disperditur; ita quod succi facultates admodum debilitentur. Atque haec, quae obiter, quod ad Syrupi Limoniorum vires, & usum innuo, satis esse poterunt, ut quisque noscat, me non adeo vulgari Medentium opinioni adhaerere, quod credam, Syruporum etiam aliorum usum in Medicina revera necessarium generatim esse. Plura namque me movent, ut existimem, plerosque Syrupos aut inutiles propemodum esse, aut etiam nocuos; uti ex comment. *Ettmulleri* in *Schroderum*, & *Morelli* eo magis evincitur. (154) Verumtamen, utcunque

(154) Ettmuller. Tom. 2. Comment. in Schroder. Dissert. 1. de Remedior. selectu in notis ad text. Ludovici.

Caeterum cum ii ipsi Syrupi, propter saccharum copiosum non sint adeo magnarum virium; & si velimus, ut aliquid operentur, necessum

cunque Syrupi Limoniorum vires longe minores existant, quam in simplici succo: nihilominus concedendum est, quod ille etiam utilis aliquando esse possit, atque tunc maxime cum succi vis, quod attemperata eo modo sit, oportet, ad peculiares usus; atque praeterea ut delicatulis satisfaciamus, utile dulci pro re nata commiscentes.

Hisce itaque praehabitis animadversionibus, eas modo

M vires

---

cessum sit ut praescribantur ad unc. 4. 5. vel 6, pro dosi una assumendi: saccharum vero, propter vim fermentativam, paucissimis Subjectis, consentientibus omnibus, sit utile, quin potius in febribus, in affectibus hypochondriacis, & similibus chronicis soleat esse nocivum; quandoquidem effervescentias auget, inflationes hypochondriorum inducit, Ventriculi tonum dejicit, & denique intumescentias, & infarctus Viscerum Abdominis inducit: propterea non in tanto usu solent apud nos usurpari, atque veteribus fuerunt in usu: ut ut ab Italis adhuc interdum soleant nimis excessive praescribi, quibus tamen morem suum relinquimus.

Neque omittendum hic est judicium *Gedeonis Harvei in Arte curandi morbos expectatione cap. 18. n. 1.* de Syruporum usu; quod revera ad propositum nostrum facit. Dicit itaque, quod Syrupus *nihil aliud est, quam decoctio, vel succorum expressio, quorum particulae agilimae evaporando, vel decoquendo, in fumum, vel in mucum, & sedimentum secedunt, quod citerius ebulliendo, & sacchari sufficientem portionem adjiciendo, in syrupum tunc est spissandum. Hoc acescente in corrodentem indolem, ad instar omnium saccharorum, & saccharo praeparatorum medicamentorum moris (sive sint conservae, lohoc, rotulae, similiave) ingravandus, laedendus, & morbo affligendus est Stomachus. Insuper plurium vegetabilium servatorum siccorum nonnulla eo (scilicet servando) virtute amplificantur, & alia non multum mutilantur..... Sub finem octo, vel decem syrupi intentionibus, & propositis necessariis omnibus abunde satisfaciendo sunt. Praeterea, quod in pluribus syrupis mel, moderate detergentibus, & diureticis facultatibus donatum, saccharo sit anteponendum, ulteriore non indiget argumento.*

vires accurate perpendamus, quas Syrupo huic adſcribit *Ebembitar*. Primum autem ipſe monet, quod Limoniorum Syrupus, paulatim deglutitus, noxios ab Ore, & gutture detergit humores; eos inſuper tam diſſolvendo, ſi tenaces fuerint, iiſque ſtricte adhaerentes partibus; quam eos attemperando, ſi quomodolibet iidem, acri qualitate ſua, partes illas irritent, aut vexent. Utramque enim in hoc Syrupo facultatem (uti in ſucco diximus) vigere pro certo habet, ut nempe attenuet, atque detergat, ac una leniat, & humectet, ex quo ſitim etiam extinguat. Haec vero duobus modis praeſtare Syrupus iſte poteſt; tam ſi ſimplex in ore detineatur diu, prout fas ſit, & paulatim deglutiatur, quam ſi immixtus aquae ad modum gargariſmatis uſurpetur. Primo modo hic Syrupus prodeſt, adinſtar aliorum, ſeu mavis, Julapiorum, quae, cum lambi guttatim ab Aegrotis ſoleant, *lambitiva* vulgo nominantur; ſub quorum praecipue claſſe, ea recenſeri poſſunt, quae ad promovendum excreatum in morbis Pectoris adhibentur. Uti autem haec fauces quidem, & ſuperiores Laryngis partes lenire, & demulcere valent, & acrem tenaciorem lympham, iis partibus adhaerentem, ad excreatum ſollicitare; tamen Tracheae cavum nullo modo ſubeunt: id ipſum de Limoniorum Syrupo dicendum pariter erit, quotieſcunque in ore detineatur, aut ſimplex, aut oleo Amygdalarum dulcium, aut concreto Liquiritiae ſucco immixtus, aut alio modo, ut aliqui facere conſueſcunt. Etenim, ſi Syrupus iſte, ita uſurpatus, tuſſim unquam ſedat; ideo id evenit, quia irritatas tunc a morboſis ichoribus partes illas leniens, atque noxium illud gluten inde removens, & detergens, eas quoque ad motum aptiores facit, ita quod optato melius excreatui conferant, ſimulac minorem patiuntur ſtimulum. Sive itaque circa Laryngis,

gis, aut Pharyngis principium, sive circa Linguam, aut Velum palatinum, aliasve contiguas partes, insensae illae humorum stases factae sint, propter quas ardor, & aestus, cum dolore ibi fuerit excitatus; utilis erit Syrupus iste, diu in Ore detentus, usquedum paulatim deglutitus omnino fuerit. Efficax ad hoc praeterea fiet idem Syrupus, si congrua aquae copia solutus, ad modum Gargarismatis, usurpetur. Ita enim, dum affectas Oris partes frequenter abluimus, infixos ibidem tenaces humores dissolvimus, indeque detergimus, atque tandem educimus facile; tunc cum obortus ibidem aestus miro modo compescitur. Revera dum, adinstar Gargarismatis, hoc Syrupo utimur, ipse nedum uti leniens, attemperans, atque demulcens agit, verum etiam uti incidens, atque detergens, illudque propterea melius efficit, quod vel a Syrupo acetoso simplici, vel ab Aceto, cum modico sacchari, aquae mixti, sperare Medici passim solent, ut isti solvantur morbi. Illud tamen, quod ad Syrupi Limoniorum usum, in hisce morbis animadvertendum esse moneo, quod de simplici Limoniorum succo diximus supra; ut nempe sedulo caveat Medicus, ne eo tunc temere utatur unquam, cum suppuratio imminet, eoque minus cum facta jam sit. Ea namque occasione tantum abest, ut acida haec conveniant remedia, ut maturantia potius adhibere fas sit, ad eas citius, tutiusque solvendas stases. Ast quotiescunque nulla penitus adsit suppurationis suspicio, Arabico Auctori nostro concedendum erit, quod in hisce morbis utilis persaepe Syrupus iste evadat, vel in aqua calida dissolutus, ut tenaciores attenuentur humores, atque proinde resolutio promoveatur: vel etiam in aqua frigida, ut novus impediatur humorum affluxus ad illas partes. Eaque propter assentiri minime renuo, quod utroque modo Syrupus iste prosit Infantibus, dum ii spasmo vexantur, praecipue circa fauces; eo quia

acris lympha ibi consistat, propter quod lingua quoque laedatur. Verum quia tunc Infantes illi saepe abluendo Ori aut sunt inepti, aut renuunt id facere: propterea congruum videtur esse, quod identidem Syrupus simplex guttatim in ipsorum Os instilletur; unde eum facilius, atque libentius ipsi deglutient. Insuper approbo, quod alio modo Syrupus iste conficiatur, ita ut magis Infantibus illis prosit, qui stipticitatem Alvi patiuntur: quod nempe, loco sacchari, manna ad id utamur. Verum nihil exinde refert, quod *Siracost*, aut *Tereniabin* seligatur, ut *Ebembitar* meminit: cum praesto sit manna vulgaris illa, quae penes Apothecarios nostros in usum Medicinae prostat, quae satis intento satisfacit. In eo autem differre putatur nostras manna, ab alia Arabum, quod (licet utraque eosdem praestare posse effectus credatur) illa quidem succus sit concretus, ab Arbore Fraxini praesertim exsudans; (155) ista vero tanquam roridus humor habeatur, qui de Coelo cadens, adinstar gummi, super cacuminibus Arborum consistens, ibidem granulorum more coacervetur. Eo magis ita confectus Syrupus iste opem adferet Infantibus, si vermibus sint vexati, ut enecentur, & educantur, alvo ad eum modum soluta.

Neque solum ad praedictas Oris evincendas affectiones plurimi, ad *Ebembitar* mentem, habendus est Syrupus iste, verum etiam in aliis peculiaribus morbis, qui in Ventriculo, Intestinis, Hepate, caeterisque Abdominis partibus eveniunt, quae cum illis maximum commercium habent. Atque primo, si de Ventriculo laborante sermo sit, quotiescunque in ipso cruditates, aliive tenaces humores unquam adsint: id ipsum agit Syrupus iste, tepenti copiosae immixtus

(155) Teatr. Farmaceut. del Donzelli part. 2.
Matth. Silvatic. Pandect. cap. 544.

tus aquae, plenisque haustibus ebibitus, quod praestare passim observamus Syrupum acetosum simplicem, eodem modo tunc administratum. Ita enim, dum ipse morbosum Ventriculi aestum contemperat, haerentes ibi noxios humores dissolvit facile, nec non eos ita sollicitat ad motum, ut, juxta habitas tunc circumstantias, aut per vomitum eliminentur illico, aut per inferiores partes, aut etiam utroque modo Ventriculus morbosa illa sarcina solvatur. Hoc itaque modo longe magis utilis erit hic Syrupus, quando bilis acris, & aestuans abundat, eaque utcunque saeviens, Ventriculum quoque divexat: quippe quod hujusce remedii ope, tam furentis illius humoris effraenata vis compescitur, quam ea insuper ad motum urgetur adeo, ut supra, vel infra exitum obtineat. Cumque praesertim biliosarum febrium initio, atque earum praecipue, quae (tametsi periodum revera servent), prae aliis tamen perniciosae sunt, bilis magis aestuans, ac pene dixerim, corrodens dominetur, quae potissimum Ventriculo noxam adfert, unde cardialgicae gravissimae passiones oboriuntur: hisce statim succurret Limoniorum Syrupus, abunde in tepente aqua ebibitus. Atque tunc simplicissimum, & blandum remedium hoc utilius, tutiusque deprehenditur esse, quam si opiata cito nimis exhibeantur. Nam haec, quae effectui (ut dicimus) solummodo prospiciunt, causam, (biliosum nempe humorem illum) nil prorsus attemperant, nec auferunt quidquam: secus ac efficit Syrupus iste, utrique simul indicationi satisfaciens. Eaque propter idem lene praesidium, antequam purgans remedium, si opus sit, assumatur, aeque proderit, ut hoc citius, & melius effectum suum sortiatur: eo quia Ventriculus ita viscidis humoribus illis opportune solvitur, qui scilicet aut purgantis illius pharmaci vim enervant, aut ipsi non leve repagulum parant, unde diffi-

cilius ad inferiores partes optatum prosequatur effectum, ideoque & Stomachus hinc gravius afficiatur. Si vero ciendi vomitum nulla necessitas urgeat; alioquin autem bilis furorem, & febris summum aestum sedare fas sit, ac una stases in Hepate, vel in aliis Abdominis partibus obortas, avellere: speciatim intento satisfaciet Syrupus iste cum aqua frigida abunde, & saepe usurpatus, jejuno Stomacho. Tametsi enim ad hoc utilis aeque non sit Syrupus, ac succus Limoniorum simplex, eodem modo (ut supra fusius indicavimus) assumptus: tamen id ipsum quoquo modo efficere aptus erit: eo quia frigidae copulatus aquae, cum per vomitum sibi aditum parare fere nunquam soleat, ad interiora vergens, penitiores viscerum recessus penetrat, ut ibidem vim suam exerat. Ea propterea ratione, velut incidens, & penetrans hoc remedium, humorum infarctus, si qui unquam adsint, solvit; atque velut attemperans, atrae, citrinae, & alterius cujusvis noxiae bilis tumultus sedat, & arcet. Utrinque ideo Vertigini, Scotomiae, Stomachi passionibus, aliisque sympaticis hujuscemodi morbis, qui ab eodem bilioso humore quomodolibet ortum habeant, opportune succurrit. Verumtamen ut effectus hosce sortiamur, haud quidem sufficit, ut semel, aut bis, aut paucis tantummodo vicibus Syrupus usurpetur, sed diuturno tempore, ut mane abunde sumatur, jejuno, ut diximus, Stomacho: quo scilicet modo bili, & sanguini intime commisceatur, ad ejus pravas corrigendas qualitates. Exinde patet ultra, curnam idem Syrupus cum aqua frigida copiose ebibitus, ebrietati succurrat: etsi, quod ad hoc, majorem in succo simplici, aquae immixto, facultatem eam inesse putem, quam plerique Aceto tribuerunt. Ejusmodi enim succus (uti ex dictis antea deducitur) volatiles, & admodum mobiles vini moleculas ita coercet, ne sua vi nimium aestuent, atque

rarescant

rarescant humores, neve proinde nervea stamina ad incongruas illas cogantur oscillationes, quae in Ebriis dominantur.

Alio denique modo, quod prosit Syrupus iste, nemo negabit, si Arabico huic Auctori concedamus, quod ipse *confert plurimis doloribus juncturarum, generatis ex materiis compositis ex flegmate, & colera citrina*: quod porro phoenomenon cum maximi revera momenti sit, neque facile concedi ab omnibus queat, opportunum censeo, ut paulo fusius hic explicetur, ideoque melius Auctoris mentem assequamur.

Ii, qui de Arthritide anomala agunt, una consentiunt omnes, quod Arthriticus humor ille, qui plerumque circa articulos consistit, ibidemque circumambientes membranas, & adnexa ligamenta pungens, & irritans, aut in tophaceas concretiones abiens, easdem partes summis cruciatibus afficiat: ille, inquam, ipse in aream circulationis quaquaversum propulsus, aliis quoque intimis partibus labem adferre ita queat, ut alii graves, varii, contumacesque morbi ab hoc uno principio dimanent. Isti autem inter se discrepantes sunt, atque specialia symptomata progignunt, ratione partis peculiaris, quae subinde afficitur, uti & ratione modi, quo morbosus ille fomes ibidem infixus est. Hisce propterea morbis nullum tutius, citiusve praesidium evenit, quam si Arthriticus humor infensissimus ille, sive sponte, sive Artis ope, removeatur inde, atque disperdatur, aut saltem attemperetur admodum, aut denuo ad Articulos derivetur, ut ibi consuetos exerat effectus. Atque hujuscemodi Arthritidis vices, iteratis observationibus confirmatae, satis utique probant, quod hostilis ille humor (quicunque vere sit, sive nempe phlegmaticus, sive cholericus, ut prisci opinabantur Medici) tam ab extimis ad internas partes, quam ab

hisce ad illas devehi facile queat: ex quo diversi omnis morbi fiunt, qui & diversimode nobis molestiam, & cruciatum adferunt. Praesertim vero ab Articulis ad Intestina, nec non vicissim, humor iste transfertur: atque propterea *Hippocrates* observavit (156), quod *qui articulari morbo detentus, Intestini dolore dextera parte vexabatur, quietior erat; hoc autem curato, magis dolebat*: id quod insuper alibi confirmat. (157) Siquidem, *humoribus ad Intestina depositis*, (158) *mirum non est aliquantulum Articulorum dolores allevari, ut, & iis curatis, iterum Articulorum dolores ingravescere. Non secus ac in dies experimur in iis, qui articulari morbo sunt obnoxii, ex magno humorum crassorum affluxu, & redundantia, Articulorum doloribus jam remittentibus, colicos dolores gravissimos suboriri, ubi praesertim intemperantius se gesserint, neque sibi medicamentorum purgantium ratione consuluerint*. Tunc enim ideo gravissimi illi dolores eveniunt, quia Arthriticus humor, qui nempe consistere in Articulis solitus antea erat, postmodum in Intestinis haerens, cum inde nequeat educi, demum ex mora longe acrior fit, adeo ut eas partes saevissime torqueat. Aliquando tamen, dum fausto omine hinc Natura Crises molitur, ideoque noxius humor ille ad exitum urgetur, dysentericus efficitur fluxus, quem si forte praemature nimis imprudens cohibeat Medicus, praesto sunt Articulorum morbi, aliique in internis partibus exsurgentes: unde jure meritoque ita ait *Hippocrates*: (159) *Intempestive suppressa Intestinorum difficultas, abscessum in Costis, aut Visceribus, aut Articulis inducit. Ac forte biliosa quidem in Articulis, sanguinea vero in Costis, ac Visceribus abscessum facit*.

(156) Hippocr. lib. de humor. Sec. 2.
(157) Idem de Morbis Vulgar. lib. 6. Sec. 4. n. 3.
(158) Föesius in Comment. ibidem.
(159) Hippocr. Coac. praenot. n. 462.

facit. Qua porro suppressa inconsulto excretione, sicuti haemorrhoidali etiam, alii praeterea graves, ac lethales quod accidant morbi, *Föesius* ibidem in Commentariis adnotat: atque hujusmodi sunt Insania, Apoplexia, Melancholia, Pleuritis, Hydrops, sanguinis Sputum, atque Vomitus. Cumque ad eamdem Hippocratis sententiam animum intenderit diligentissimus ejus interpres *Desiderius Jacotius*, morbosas hasce vices pari solertia, breviterque, sic explicat in Commentario. (160) *Quod autem de abscessu ad Articulos scribit, ex sexto Epidemiorum intelligitur, quo loco docet, ab Arthritide ad dolorem Intestinorum, & contra permutationem saepe fieri, per fluentium humorum translationem ab Articulis in Colon, aut a Colo in Articulos*: Vicissitudinarias hasce Arthritici humoris *translationes*, quae innumeris alioquin observationibus comprobantur, Celeberrimus praeterea Immortalis *Boerhaavii* Commentator *Van-Svvieten* (161) ita proposuit, atque rationabiliter explicavit. *Verum quandoque & tales spasmi fiunt in Intestinis ab aliis longe caussis, quae ad cognitas acrimoniae classes reduci nullo modo possunt. Illud latens morbosum in Corpore, quod ad extremos Artus delatum, exquisita illa Podagrae tormenta facit, si ex imprudenti medela, vel effoeti Corporis languore, ad solita loca deponi impeditur, saepe in Visceribus abdominalibus horrendos spasmos excitat*.

Atque haec quidem ita summatim praefari consentaneum duxi, ut verisimilius pateret, quomodo nam Limoniorum Syrupus (atque fortasse efficacius eorum simplex succus) abunde, ac diuturno tempore, cum aqua frigida assumptus, conferat *plurimis doloribus Juncturarum*, iisque maxime, qui a *flegmate*, & *colera citrina*, juxta *Hippocratis*, & *Ebembitar* mentem,

(160) Desider. Jacot. Com. 1. in lib. 6. Sec. 2. Hippoc. Coac. n. 38.

(161) Van-Svvieten Com. in Aphor. Boerhaav. n. 648.

mentem ; oboriri creduntur. Eo quia hujuscemodi humores magna ex parte a colatoriis Abdominis procedunt, sive ii in Intestinis resideant, & inde ad Articulos devecti, dolores in iis pariant; sive ab Articulis secedentes, atque demum cum universa humorum massa in gyrum acti, in Intestinis, aut in aliis partibus consistant: utrinque patet, quod Syrupus iste *Juncturarum doloribus* optime succurrat; quippe quia Arthriticus ille humor eodem praesidio dissolvitur maxime, & attemperatur, ita ut non adeo facile Articulis adhaerere, neque in iis irritantem vim suam exercere valeat, uti antea solebat. Ex quibus omnibus jure deduco, quod Syrupi hujusce, atque praecipue Limoniorum succi, frequens usus non modo utilis esse queat illis, qui Arthritici sunt, dum morbus viget: verum etiam ad ejusdem insultus praecavendos, aut saltem arcendos.

Ob easdem vero rationes, propter quas diximus, quod iste Syrupus, uti par est, diuturno usurpatus tempore, ad *Juncturarum dolores* praecavendos aptus sit: ita cum *Ebembitar* asserimus, quod sanis quoque sit utilis, ad educendas a Stomacho *superfluitates*, aut alios tenaces humores, qui quidem purgantis cujusvis remedii actionem praepedire possint, aut saltem imminuere. Praeterea utilis pari modo erit ad detergendas vias Hepatis, atque attenuandos humores quoslibet, ac denique ad genitas in Visceribus Abdominis stases, & obstructiones evincendas. Quibus morbis eo magis quod opitulari possit Syrupus iste, jure meritoque docet *Ebembitar*, si in illa aqua, cui immiscendus ipse sit, attenuantes, seu deobstruentes herbae, juxta indigentiam, ebullierint. Eosque effectus ut inde tutius sani quoque Homines obtineant, ad enarratos praecavendos morbos, ego quoque Arabici ejusdem Auctoris consilium probo; quod scilicet, qui hoc remedio uti velit,

is

is ante cibum satis exerceat Corpus, atque *surgat a mensa cum reliquiis famis, & non repleatur cibo*. Cuique enim patet, opportunas Corporis exercitationes humorum motus sollicitare, nec non eosdem attenuare, solidorum vim elasticam augere, atque demum repagula quaeque tollere, quae remedii hujusce actioni unquam obstent. Huic quoque praesertim obest nimia alimentorum sarcina, quae Ventriculi digerentem vim enervat, ibidemque cruditates accumulat, ac proinde impedit, ne assumptum hoc remedium intimos Corporis recessus libere pervadat. Valet etiam Syrupus iste, minus tamen quam succus Limoniorum simplex, ad venenorum deleteriam destruendam actionem; sive de iis agatur, quae assumuntur, dummodo vomitus, ante remedii hujusce usum, satis fuerit excitatus; sive etiam de aliis, quae ab infensis Animalibus procedunt: veluti a Scorpionibus, Serpentibus, aut similibus: dummodo ipse, in aqua solutus, copiose, atque diu usurpetur. Neque praeterea mirum omnino videtur, quod idem Syrupus ita potens ab *Ebembitar* dicatur esse, ut tanquam praeservans habeatur remedium, ab effectibus veneni illius, quod unquam alicui postea propinari queat. Etenim non abs re erit, cum *Lanzono* animadvertere, (162) *gravius affici eos, qui jejuni arsenicum assumpserunt, levius vero, qui a pastu*. Quod quidem, dum *Lucae Tozzi* testimonio probat, id ipsum se observasse ait *in circumforaneo quodam arcanorum jactatore, qui, ut rudem illuderet plebem, arsenicum publice manducavit, absque noxa. Hoc autem accidit, ut ipse candide fassus est, quia, ante praedicti arsenici assumptionem, cibis oleosis, ac pinguibus* usus fuit, quibus Ventriculi interior tunica, ad veneni particulas retundendas, fuerat oblinita. Nihilominus haud ignoro, quod observatio haec non

(162) Joseph Lanzon. Tom. 2. Observat. 233.

non omnino proposito nostro satisfacit; eo quia *Lanzonus* hic agit de Veneno, quod potissimum in Intestinis, & Ventriculo suam exerit vim; tum etiam quia pingues illi cibi Stomacho tenaces moleculas suppeditant, quae ejus tunicis arcte cohaerent. Attamen licet alexiteriae Limoniorum particulae, in aqua simplici dilutae, cito praeterfluant; eae ceteroquin diu, frequenterque usurpatae, sanguini immiscentur, eoque magis gastricae lymphae, aliisque Intestinorum liquoribus: unde eorum diathesis ita disponitur, quod veneni actioni resistendi congruam nanciscantur facultatem: propter quod eorum supra laudavimus consilium, qui succum Limoniorum quotidie ebibere consuescunt, cum timeant, ne forte *Acqueta* venenum iis dolose praebeatur.

Verum quia, ut initio diximus, Syrupi hujusce speciales aliae proprietates, ex iis, quae fusius de Limoniorum succi viribus antea proposuimus, eruuntur facile; de hisce ultra disserere supervacaneum existimo. Pleraque tamen ut summatim adferam, *Geoffroy* teste dicam, (16;) quod *Syrupus de succo Limonum* commendatur *ad calculum, & obstructiones Renum: item ad sitim, & aestum in febribus ardentibus: Cordi, & Ventriculo robur addit, & bilis effervescentiam compescit: ideoque haud infeliciter imbecillitates, lipothymias, vomitus, & singultus, febribus ardentibus supervenientes, curat*. Quod si denique Syrupi istius vires cum iis comparemus sedulo, quae ad Syrupum acetositatis Citri pertinent; utique concedendum erit *VVeckero*, (164) quod ille potius, quam iste *vehementius infrigidat, & penetrat*. Ideo speciatim *contra putrefactionem valet, contra vermes, contra vehementiam caloris febrilis, & alios crudos humores*.

Atque

(163) Geoffroy Tom. 2. Mater. Med. Part. 2. Sec. 2.
(164) Jo: Jacob. VVecker. Medic. Syntax. lib. 1. part. 3.

Atque demum ut omnia paucis complectar, quod ad Syrupi Limoniorum, eorumque maxime fucci proprietates in enarratis morbis: ea quidem facilius admittenda fore, quisque concedet, quo magis tam rationi, quam experientiae conformia sunt, simulac antiquorum Medentium testimoniis evincuntur. Isti enim omnes (uti supra explicavimus) acidis hisce remediis peculiarem attribuunt vim, in Oris maxime, fauciumque morbis, ut eorum scilicet ope, si non tollantur penitus, ii saltem compescantur adeo, ut minorem Aegrotis molestiam adferant. *Aretaeus*, (*) prae aliis, docet, quod non modo tunc *ex mulsa*, *cum lentis*, *aut hyssopi*, *aut rosarum*, *aut palmularum*, *aut simul omnium decocto*, *collutiones fiant*: verum etiam *illiniendum totum Os esse*, *usque ad intimas fauces*, *simplicibus quidem*, *ut mororum*, *aut malorum punicorum*, *aqua maceratorum*, *succo*, *aut palmularum decocto*. Idem Auctor (**) ad sedandos Articulorum dolores, praeter Marrubii *decoctum quidem infusum*, atque *cataplasma ex ipsa herba*, *cum panis micis*, *aut cum hordei farina*, animadvertit, quod *malorum quoque Citriorum pars*, *non apta cibo*, *cum polenta*, *magnopere subvenit*. Neque vero ad rem nostram alia Auctorum testimonia referam: cum ex iis, quae antea recensui, Limoniorum praecipue succi mirae facultates omnino pateant, uti & ejus Syrupi.

Ex

(*) Aretaeus de Curat. Acut. morb. lib. 1. cap. 7.
(**) Idem de morb. diuturn. Curat. lib. 2. cap. 12.

Ex Manuscripto Cremonensi.

DIxit ABENGIEMIHA quod Syrupus de Limonibus cum Citoniis est ille qui fit ex succo Limonum cum zucaro & succo Citoniorum cujus descriptio est haec. Permisceatur zucarum cum lacte & dissolvatur & abiciatur spuma ejus secundum quod dictum est in arte conficiendi Syrupum de Limonibus simplicem deinde proiciatur super eum pro qualibet libra zucari de succo Limonum & succo Citoniorum mundificatorum a semine & paniculis seminum suorum quantitas quae secundum dispositionem Aegritudinis & exigentiam debilitatis Stomaci videtur Medico necessaria; Aut secundum aliquos proiciantur pro qualibet libra zucari unciae tres de succo Limonum: de succo autem Citoniorum completorum & mundatorum a seminibus suis & paniculis ejus qui quidem succus jam ebulierit ita ut sit mundificata spuma ipsius, & diminuta fuerit pars ejus sexta aut quarta proiciatur pro qualibet libra zucari libra media ipsius succi Citoniorum praedicti & in decoctione Syrupi servetur ordo in postponendo succum Limonum & sollicitudo quam praediximus quousque compleatur & tunc removeatur ab igne & conservetur: Juvamentum autem hujusmodi Syrupi

rupi est quod ipse confortat Hepar & Stomachum relaxatum recipientem superfluitates multas & abstergit quod in eo est de flegmate & de colera citrina : & prohibet fluxum ejus quod fluit de superfluitatibus ad ipsum & ad reliqua viscera & adjuvat ad bonitatem digestionis & confortat alistimbre & removet casum appetitus & sedat sitim & abscindit vomitum colericum & fluxum colericum & confert febribus accidentibus in eis : & retinet ventrem quando assumitur ante assumptionem cibi : & abscindit colericam passionem forti abscissione : & quando assumitur post vinum, adjuvat ad bibendum de eo multum & prohibet adventum ebrietatis.

Idem pene est in editione Veneta.

Ex editione Parisiensi.

Dixit etiam Ebengiemiha : quod Syrupus de Limonibus cum Citoniis est ille, qui fit ex succo Limonum cum saccharo, & succo Citoniorum, cujus descriptio haec est. Permisceatur saccharum cum lacte, & dissolvatur, & abjiciatur spuma ejus secundum, quod dictum est in arte conficiendi Syrupum de Limonibus simplicem, deinde projiciatur super eum pro qualibet libra sacchari, de succo Limonum, & succo Citoniorum

mundi-

mundificatorum a femine, & paniculis feminum fuorum, quantitas quae fecundum difpofitionem aegritudinis, & exigentiam debilitatis Stomachi videtur Medico neceffaria aut fecundum aliquos projiciantur pro qualibet libra facchari unciae tres de fucco Limonum: de fucco autem Citoniorum completorum, & mundatorum a feminibus fuis, & paniculis fuis, qui quidem fuccus ebullierit ita, ut fit mundificata fpuma ejus, & diminuta fuerit pars ejus fexta, aut quarta projiciatur pro qualibet libra facchari media libra ipfius fucci Citoniorum praedicti, & in decoctione Syrupi praedicti fervetur ordo in poftponendo fuccum Limonum, & follicitudo quam praediximus, quoufque compleatur, & removeatur ab igne, & confervetur: juvamentum autem hujufmodi Syrupi eft, quod ipfe confortat Hepar, & Stomachum relaxatum recipientem fuperfluitates multas, & abftergit, quod ineft de phlegmate, & de colera citrina, & prohibet fluxum ejus quod fluit de fuperfluitatibus ad ipfum & ad reliqua vifcera, & adjuvat ad bonitatem digeftionis, & confortat aliftimbre, & removet cafum appetitus, & fedat fitim, & abfcindit vomitum colericum, & fluxum colericum, & confert febribus accidentibus cum eis, & retinet ventrem quando affumitur ante affumptionem cibi,

Eumdem credo effe hic errorem, de quo fupra.

cibi, & abſcindit colericam paſſionem forti abſciſſione, & quando aſſumitur poſt vinum adjuvat ad bibendum de eo multum, & prohibet adventum ebrietatis.

CAPUT IX.

De Syrupo Limoniorum cum Citoniis.



Ti facile nimis, atque fortaſſe magis, quam par eſt, ſimplicium quamplurium remediorum viribus tribuere, priſci plerique Medici conſueverunt, ut non aeque in omnibus apud ſaniores fidem mereri videantur: ita minus iis credere ut plurimum poſſumus, quotieſcunque de compoſitis agunt, atque praecipue de illis, quae ex diverſis, atque etiam contrariis inter ſe ſimplicibus conficiuntur. Non ideo enim quia aliqua ſimplicia, ſeorſim ſumpta, ſpecialibus facultatibus polleat, inferre hinc nobis licet, quod eadem in unum coeuntia, pares utrinque vires obtineant, atque ſervent; ita quod, junctis pene, ut ajunt, viribus, ad illa quaeque revera valeant, quae a ſingulis ſperare conceſſum erat, anteaquam in unum redigerentur compoſitum. Quinimo rationi conſonum magis fore putaverim, ſi generatim innuam, quod, quo plura, eaque ſimul commixta, remedia adhibentur, eo magis dubius ſit eorum effectus, relate ad peculiares indicationes illas, quibus unquam par ſit ſatisfacere, ut Aegrotis proſpiciamus. Idcirco ſaniorum quorumvis Medicorum ea eſt opinio, quod, ad faciendam Artem, multiplex remediorum apparatus, niſi

revera nocuus, saltem inutilis ut plurimum evadat: quippe quod Natura (quae una tutior est morborum medicatrix, & agentium Medicorum norma) simplicitatem in omnibus servare, atque expetere semper videtur. Hinc factum esse arbitror, quod primus Medicinae parens *Hippocrates*, Naturae ipsius genium, & vires, si quis alter, accuratissime investigans, atque caute, prudenterque sequens, pauca admodum, eaque simplicissima, praescribere remedia semper visus sit; velut is, qui, ratione, & experientia duce, omnino cognoverat, quod, uti in caeteris, ita potissimum in Arte nostra, id, *quod potest fieri per pauciora, non debet fieri per plura*. Verumtamen non negaverim, quod aliquando plura in unum redigere medicamenta conveniat, ut optatum melius, & citius sortiamur effectum; quotiescunque scilicet ea singula, quae usurpantur, tantum abest, ut opposita inter se sint, ut omnia potius ad eumdem finem penitus vergant: cujusmodi nonnulla apud Practicos exempla occurrunt.

Haec autem (de quibus aliquando fusius differere in animo habeo) per transennam hic praefari consentaneum duxi, ut meum, qualecunque sit, adferrem judicium de compositis aliis Limoniorum Syrupi formulis, quas in fine Tractatus *Ebembitar* adjunxit. Quemadmodum enim miram Limoniorum facultatem in simplici eorum succo potius, quam in ejus Syrupo simplici vigere, supra satis indicavi: sic potiore jure dubitandi locus adest, an vere Syrupus iste efficax speciatim sit, ut iisdem inserviat usibus, si, ad *Ebembitar* mentem, Citoniorum succus eidem immisceatur. Ecquis enim ignorat, quantum revera differat acidus ille succus, qui a Citoniis exprimitur, ab altero, qui a Limoniis exit? In eo acerbum quid, seu austerum dominatur principium; in hoc vero nequaquam: propter quod adstringens ille est, iste vero attenuans, incidens, & supra

modum

modum penetrans ; uti satis ostendimus. Aut itaque sola unquam adstringendi viget indicatio ; atque tunc succus Citoniorum simplex, absque Limoniorum succo eidem satisfaciet : aut attenuare, detergere, vel incidere quomodocunque expedit ; & iste tunc sine illo non modo sufficiet, verum etiam ad hoc magis efficax erit : unde utrinque quo simplicior instituetur curatio, longe majorem ea laudem merebitur. Quid ? quod si animadvertamus, plerosque effectus, quos composito Syrupo cum Citoniis *Ebembitar* adscribit, solius succi Limoniorum actioni tribuendos esse. Nec enim quispiam melius, quam Limoniorum succi praesidio, Hepati, vel Stomacho phlegmaticos humores, vel choleram citrinam absterget ; abscindet *colericam passionem forti abscissione* ; aestuantium summopere febrium accidentibus occurret ; & sitim sedabit, ut alia omittam plura bona, hisce non absimilia, quae ab hoc uno repeti posse, fusius demonstravimus : quibus omnibus phoenomenis opem adferre succus Citoniorum minime valet. Quotiescunque vero vomitus, aut cholericus adsit fluxus, nec non appetitus inde languescit, adstringentia non ideo conveniunt, ita ut Citoniorum succus illico sit indiscriminatim usurpandus. Esto enim quod pravi effectus illi ab aestuante, & copiosa bile (quod plerumque contingit) originem obtineant : ea cum adsit occasio, qua, juxta Hippocratis monitum, & vomitus vomitu curatur, & fluxus fluxu ; non ne adstringentia, neglectis congruis remediis aliis, praescribere, mehercle idem sane foret, ac morbosam eam causam in Corpore firmare, quam caeteroquin incidere, attenuare, compescere, atque tandem educere penitus fas esset, ne inde pejores postea contingerent aerumnae? Profecto qui in hisce circumstantiis inconsulte adeo se gerunt, tantum a sana curationis methodo aberrant, quantum refert ad Medici-

nam rite faciendam, ut veram morborum caufam nunquam omnino negligamus, effectibus utcunque evincendis dumtaxat intenti: qui quidem fummus omnium error eft in Arte noftra, quem, peffimo nefcio quo fato, familiarem nimis effe, etiam atque etiam faniores omnes conqueruntur. Attamen in cafu noftro, fi placet, concedamus etiam Arabico Auctori, quod immoderatus adeo vomitus, & fluxus aliquando eveniat, cui ftatim aut fucci Citoniorum, aut alterius efficacioris adftringentis remedii praefidio, penitus oporteat fuccurrere: nunquid pro votis res tantummodo tunc cedet, quum Syrupo Limoniorum cum Citoniis utemur, & non aliter? minime fane. Abunde tunc Aegroti ebibant Limoniorum fuccum cum aqua frigida, fine faccharo: aut faltem Syrupum, qui ex eo fit, juxta allatam fupra normam, capiant. Quod enim dum fiet, ut peccantium humorum effraenes compefcantur aeftus: feorfim, pro ratione fpeciali morbi, adftringentia poterunt adminiftrari, quae immoderatum eorum motum, feu potius tumultum, opportune coerceant. Ita vero fimpliciore methodo, ideoque tutiore, utrique indicationi fiet fatis, quin compofitus ejufmodi Limoniorum Syrupus cum Citoniis fruftra in ufum revocetur. Atque ex hifce facile erit inferre, quod ad pompam potius confectus effe videatur Syrupus ifte; qui propterea, nifi ut nocuus, faltem ut inutilis haberi merito queat: cujufmodi aliae funt nimis compofitae remediorum praefcriptiones, quae tanti fieri a vulgaribus Medicis confuefcunt; uti eae forfan ipfae, quas ab Auctoribus depromptas, eruditionis potius gratia, fupra recenfui. Iis enim quoque fas erat fatisfacere, qui a fimplicitate alieni, compofitis hujufmodi remediis fidem praeftant, & aliquando fortaffis non immerito.

Et

Ex Manuſcripto Cremonenſi.

ET dixit ABENGIEMIHA Syrupus vero de Limonibus factus cum menta eſt Syrupus factus cum ſucco Limonum & zucaro & ſucco mentae aut ex ipſa menta cujus deſcriptio eſt quod fiat ſicut dictum eſt de ſyrupo de Limonibus ſimplici propter hoc quod hora qua projiicitur ſuccus Limonum projiciatur manipulus unus mentae viridis mundificatae a pulvere mundificatione bona cum panno leni & dimittatur in eo quouſque accipiat virtutem ipſius mentae poſtea extrahatur & exprimatur deinde abjiciatur menta expreſſa aut projiciatur ſuper ſyrupum praedictum in hora ebulitionis ejus aliquid de ſucco foliorum mentae & ramorum ejus recentium tenerorum depurato; & manifeſtum eſt quod virtus ſyrupi de Limonibus facti cum ſucco mentae eſt fortior quam factus cum foliis mentae & juvamentum quidem ſyrupi de Limonibus facti cum menta quod ipſe confortat ſtomacum relaxatum & bonificat ejus digeſtionem & removet nauſeam & ſubverſionem animae & abſcindit vomitum factum ex permixtione flegmatis cum colera citrina: & confert vomitui flegmatico & melanconico etiam: & removet corruptionem cibi & confert ſingultui humido:

& ei quem momordit canis rabidus antequam fugiat ab aqua.

Ex editione Veneta.

ET dixit EBENGEMIHA Syrupus vero de Limonibus factus cum mentha, est syrupus factus ex succo Limonum, & zuccharo, & succo menthae, aut ex ipsa mentha, cujus descriptio est, quod fiat sicut dictum est de syrupo de Limonibus simplici praeter hoc, quod hora, qua projicitur succus Limonum, projiciatur manipulus menthae viridis mundificatae a pulvere mundificatione bona cum panno lini, & dimittatur in eo quousque accipiat virtutem ipsius menthae, postea extrahatur, & exprimatur, deinde abjiciatur mentha expressa, aut projiciatur supra syrupum praedictum aliquid de succo foliorum menthae, & ramorum ejus recentium tenerorum depurato, & manifestum est, quod virtus syrupi de Limonibus facti cum succo menthae est fortior, quam factus cum foliis menthae: Et juvamentum quidem syrupi de Limonibus facti cum mentha est, quod ipse confortat Stomachum relaxatum, & bonificat ejus digestionem, & removet nauseam & subversionem animae, & abscindit vomitum factum ex per-

permixtione flegmatis cum colera citrina & confert vomitui flegmatico, & melancolicho etiam, & removet corruptionem cibi, & confert singultui humido, & ei, quem momordit canis rabidus, antequam fugiat ab aqua.

Ex editione Parisiensi.

ET dixit EBENGEMIHA: Syrupus vero de Limonibus factus cum menta, est syrupus factus ex Limonibus, & saccharo, & succo mentae, aut & ipsa menta: cujus descriptio est, quod fiat sicut dictum est de syrupo de Limonibus simplici, praeter hoc, quod hora qua projicitur succus Limonum, projiciatur manipulus mentae viridis mundificatae a pulvere mundificatione bona cum panno lini, & dimittatur in eo quousque accipiat virtutem ipsius mentae, postea extrahatur: & exprimatur deinde abjiciatur menta expressa, aut projiciatur super syrupum in hora ebulitionis ejus aliquid de succo foliorum mentae, & ramorum ejus recentium tenerorum deinde ebulito: & manifestum est quod virtus syrupi de Limonibus facti cum succo mentae, est fortior quam factus cum foliis mentae: juvamentum vero syrupi de Limonibus facti cum menta est, quod iste confortat Stomachum relaxatum, & bonificat

nificat ejus digestionem, & removet nauseam, & subversionem animae: & abscindit vomitum factum ex permixtione phlegmatis cum colera citrina, & confert vomitui phlegmatico, & melancolicho etiam removet corruptionem cibi, & confert singultui humido, & ei quem momordit canis rabidus, antequam fugiat ab aqua.

CAPUT X.

De Syrupo Limoniorum cum Mentha.

A, quae in antecedente Capite, quod ad Syrupum Limoniorum cum Citoniis, ejusque vires, & actionem, candide diximus; quid de Syrupo Limoniorum cum Mentha sentiendum merito sit, unicuique ostendent. Quapropter quin eadem repetam, solummodo dicam, quod, cum ego semper in conficiendis remediis, iisque praescribendis, si quis alter, simplicitatis aeque, ac veritatis amator fuerim; ita neque in hoc *Ebembitar* judicio acquiescere possum, ut credam, Syrupum hunc Limoniorum cum Mentha necessarium revera esse, ad exercendam rite Artem. Etenim nec quidquam hinc moveor, quod ideo ab Auctore Syrupus iste proponatur, quia *confortat Stomachum relaxatum, & bonificat ejus digestionem, & removet nauseam, & subversionem animae, & abscindit vomitum factum ex permixtione flegmatis cum colera citrina: & confert vomitui flegmatico, & melancolicho etiam, & removet corruptionem cibi, & confert*

singul-

singultui humido, *& ei quem momordit Canis rabidus*, *antequam fugiat ab aqua*. Nam varii effectus isti, cum per emphasim potius, ut ita dicam, enuntiati ibi sint, haud penitus merentur fidem. Enimvero, quidquid sit de specialibus Menthae facultatibus, quae a Botanicis omnibus distincte proferuntur, (quas porro & praelaudatus *Platina* (*) noster accurate consideravit) minime intelligo, quod easdem illa vires servet, tunc cum, ad parandum hunc Syrupum, Limoniorum succus, cum succo Menthae copulatur. Siquidem Mentha, teste *Dioscoride*, (165) *calefaciendi*, *adstringendi*, *atque exsiccandi vim habet*: Limoniorum vero succus (uti supra demonstravimus) refrigerat, attenuat, incidit, dissolvit, & humorum effervescentias mirifice compescit. Quicunque ideo oppositas e diametro vires hasce in unum redigere tentans, succum Menthae cum Limoniorum succo conjungit, ut iste Syrupus efficiatur, an non is revera videtur esse, qui, ut adagio fertur, *quadrata rotundis*

(*) *Platina de honest. volupt. & valet. lib. 3. de Mentha*, de qua quidem cum aliqua ibidem referat, quae ad propositum nostrum faciunt, ea hic exscribere congruum existimo. Sic itaque de ipsa loquitur. *Mentha suavissimi odoris herba est. Hanc fuisse puellam a Plutone amatam ferunt Poetae, versamque in herbam sui nominis a Proserpina, cujus pellex erat: hinc praeterea mentulam dictam, quasi donum amoris, vel quasi meritam, vel quod mensa grato odore percurrat. Excitat enim haec herba, propter inflammationem, & humiditatem, demortuam Venerem. Hanc ob rem crediderim, veteres exercituum Duces vetuisse, militem, quem castum volebant, unde & Castra sunt dicta, hac herba vesci. Appetentiam inducit Mentha: & obesos a marcescentia conservat: Laetum cor reddit: Stomachum juvat: Lumbricos interficit: contra morsum Canis rabiosi valet plurimum. Seritur Mentha aequinoctio Verno: melius tamen surculo venit, quam semine: humido minus gaudet &c.*

(165) Andr. Mathiol. in lib. 3. Dioscorid. cap. 35.

rotundis immiscet? Ego profecto consilium hoc haud unquam probabo. Quod si nihilominus aliquis, utens jure suo, Menthae vires cum iis, quae Limoniorum propriae sunt, copulare velit; optato potiri fine commode poterit, si congruam Limoniorum Syrupi dosim alteri Syrupi Menthae dosi, pro lubito, adjiciat, quin compositum *Ebembitar* Syrupum usurpet: eoque modo, pro re nata, omnibus satisfacere indicationibus poterit, atque contrariis etiam inter se, si ad id revera opinione feratur. Ne vero Novatoris nomen mihi asciscam, fere ac si composita quaeque remedia ab Arte nostra indiscriminatim proscribere velim; cum iis, qui compositarum ejusmodi formularum fautores sunt, liberalius agam. Eorum propterea opinioni modo favens, uti possum, ne dum allatam ab *Ebembitar* istius Syrupi praescriptionem aequo iis animo relinquam; verum etiam alias magis compositas subnectam, ut illis, si placeat, utantur: qua quidem ratione gratam ipsis me rem praestare confido.

Cum expertissimus *Riverius (166)* ad roborandum Ventriculum, praeter alia, cortices Citri, & Aurantiorum conditos commendat maxime, ita etiam animadvertit; quod, *quia* Citri cortex *saepe ab exsiccatione duritiem contraxit, ut dentibus facile comminui non possit, cogimur non raro eum in mortario marmoreo contundere cum aqua rosarum in formam opiatae*. Ibi insuper compositum syrupum de *Absynthio Penae* describit, quem apud Parisienses maximo in pretio fuisse dicit: cujus haec est descriptio.

℞. *Cortic. Citri saccharo condit. & in taleolas dissect. lib. semis.*
Coquantur in aequis partibus Aq. Cichorei, & Agri-

(166) Lazar. River. Prax. Med. lib. 9. cap. 1.

Agrimonii, usque ad putrilaginem.
Expressioni fortiter factae adde
Succi Citoniorum, & Aquae stillatae
Absynth. pontic. an. lib. semis;

quibus simul mixtis, infunde per quatriduum Schoenanth. unc. quatuor, in vase bene clauso vitreato, super cineres calidos. In expressione, fortiter facta, dissolve
Sacchari albissimi quantum satis. Coquantur postea in Syrupum perfectum, in quo calente dissolve
Ambrae Cineritiae drachm. unam.

In Antidotario nostro Mediolanensi, in eumdem pene finem, describitur modus conficiendi Syrupum de Mentha majorem *Mesve*, cui alium fere similem Bononiense Antidotarium ita proponit.

R. *Succ. Citonior. Muzor. & dulcium,*
Granator. acetosor. dulcium, &
Muzor. an. lib. unam & semis.
In hisce succis macerentur sequentia
Rosar. rubrar. unci. duae,
Menthae sicc. lib. una & semis.

Coquantur deinde cum facilitate, usque ad medietatis consumptionem: colentur, & colaturae adde Sacchar. albiss. lib. duas. Coquantur ad perfectionem, &, cum reponis, aromatiza cum Galliae Moschatae drachmis duabus, in petia ligatis, atque in orificio vasis suspensis.

Aliam denique addam normam conficiendi Syrupum Diacitri rosatum, quem usus maximi esse docet *Hadrianus a Mynsicht*, (167) dum eum sic describit.

R. *Succ. Citri, & Limon. per pannum, aut filtrum, sine ulla vi, vel expressione destillator. & cum Rosar. rubr.*

(167) Hadrian. a Mynsicht Thesaur. Med. Chymic. Sec. 6.

rubr. prius, rubini instar, tinct. an. lib. unam.
Rob de Berberis,
de Ribes an. unci. octo.
Syrupi de Agrest.
Oxysacchari, Rub. Id:i optim.
Fragorum an. unci. quatuor.
Aq. Cinnamom. Buglossat., in qua
species Diarrhod. Ab. infusae fuerint,
unci. duas.
Nitri praeparat. drachm. unam & semis.
Mixta decoque, ut est Artis, & fiat
justae consistentiae Syrupus.

Si *Hadriano a Mynsicht* in hoc fidem omnino quis praestet, is utique concedet, quod Syrupus iste, quod ad proprietates suas, longe sit illo praestantior, quem cum Limoniis, aut Citoniis, aut Mentha confici docet *Ebembitar*. Hadriano enim teste, *potentissime refrigerat, penetrat, siccat, & a putredine vindicat. Febribus malignis, biliosis, morbisque contagiosis plurimum confert. Ebrietati, venenis, & pestilentiae saluberrime resistit. Intemperiem calidam Capitis, Cordis, Ventriculi, Hepatis, Lienis, Viscerum, omnemque sitim extinguit. Renum aestus emendat. Urinas, & sudores movet. Vomitum biliosum reprimit. Cholerae medetur. Cardiacis, Dysentericis, & Coeliacis, purgato prius Corpore, succurrit. Dosis ab uncia dimidia ad unciam unam, & duas per se, vel in vehiculis specificis, affectum proprie respicientibus.* Ast cum ego Auctor esse nequeam, ut tam multiplices, varii, & miri effectus credantur, sat erit dicere, quod, si ii vere admittantur, fas quoque sit concedere, quod, qui eo Syrupo est munitus, nulla pene alia remedia poterit exoptare, ut optime Medicinam faciat. Quod cum minime admittere velim, fides sit penes Auctorem ipsum, qui caeteroquin adeo compositis remediis, plusquam par est, favere consuevit.

Ex

Ex hisce itaque cum omnino pateat, me praeter modum ejusmodi compositis pharmacis minime fidere, necnon iis cum fiducia potius uti, quae, utpote simpliciora, vim suam magis indicant: eo minus cum *Ebembitar* concedam unquam, quod Syrupus Limoniorum cum Mentha, praeter alia, potens adeo sit, ut illi opem satis adferre valeat, *quem momordit Canis rabidus, antequam fugiat ab aqua*. Nam hoc venenum, si quod aliud, efficacissimum est, ejusque indoles, & agendi modus omnino latet: licet ab ortu Medicinae, quotquot experti, accurati, doctissimique, usque in hanc diem, fuerunt Medici, conati sint, ut eorum omnium, quae ad insensissimum virus hoc, ejusque medelam pertinent, certiores fierent. Et quamvis multa propterea a sanioribus ubique fuerint vulgata, adhuc circa hoc veritas in Democriti, ut ajunt, puteo prorsus delitescit: ita ut aliquid certi evinci nondum potuerit. Quemadmodum vero inter tot ambages, & tenebras, meum etiam, utcunque sit, adferre judicium licet; haudquaquam vererer asserere, quod illud unum demorsis a Cane rabido praesidium, caeteris tutius, adsit: ut nempe, si possibile sit, illico post inflictum vulnus, affecta pars forti vinculo superius devinciatur adeo, quod, ab ea regressu sanguinis ad alias partes denegato, penitus impediatur, ne virulentus ille tenuissimus humor, in aream circulationis cum sanguine properans, eum unquam inficiat. Hoc autem praestito, laesae parti, supra vulnus, apponantur cucurbitulae, congruis ibidem factis incisionibus: quo modo eo usque sanguis inde extrahatur, donec, qui a loco ligaturae, usque ad extremum partis illius, in venis continetur sanguis, is affatim, & ocyssime prodeat. Verum hoc, tametsi, uti arbitror, omnium summum praesidium sit; illud tamen tunc solum valet, cum extrema Corporis fuerint vulnerata; quippe quod in iis

solummodo ligaturae possint institui: secus autem, si alibi in Capite, aut in trunco infortunium hujuscemodi contigerit. Insuper animadvertimus, quod, cum virus illud summopere sit mobile, nec non penetrantissimum, nemo unquam sibi persuaserit, quod opportuno tempore praesidium istud in usum possit revocari, anteaquam scilicet illud virus intima Corporis penetralia pervadat. Atque animadversiones istae quoque valent, si Aegyptiorum imitati morem, (qui, ut Cap. 3. Artic. 7. monuimus, ictam a Scorpiis quibusdam partem *ex toto sectione abdicare* solent) etiam demorsas a rabidis Canibus partes omnino tollere velimus. *Crudele hoc consilium*, etiamsi, a Celeberrimo *Sauvages* praecipue propositum, praelaudatus *Van-Svvieten* (168) indicet; jam dudum utile, ac necessarium in hisce circumstantiis existimaverat *Johannes Andreas a Cruce*, (169), atque tunc etiam, cum ab aliis venenatis animalibus Homo fuisset vulneratus. Cumque curationis ista methodus, speciales animadversiones (quae maximi sane momenti mihi videntur esse), in se contineat; minime Tyronibus praesertim, injocunda erit opera, si eam hic adamussim referam. Est autem hujusmodi: *Tota, si fieri potest, aut saltem ea pars, quae veneno affligitur, abscindatur. Dignoscitur quidem, quia a sana, & naturali variat, quippe pallida, aut sublivida, aut emortua apparet. Si vero ex toto separari nequit, profundis scarificationibus saltem locus feriatur, ut sanguis malus expurgetur: nec ideo alienum erit cucurbitulas adhibere, vel ut psyllus, sive vilis Homo, ore proprio sano, sed prius praeparato, simulque & Ventriculo, esu nempe Ruthae Sylvestris, aut salis, Ruthae, & caricarum, ac aceto abluto vulnus exsugat, cui inde tale applicetur medicamentum.*

Recipe

(168) Van-Svvieten Com. in Aphor. Boerhaav. §. 1143. n. 1.
(169) Jo: Andr. a Cruce Chirurg. Sec. 1. lib. 7. cap. 6.

R. *Terebenth. clar. unc. duas.*
Ol. Hypericon. unc. unam.
Theriac. optim. unc. semis.
Euphorb. recent.
Terrae Sigill. an. unc. duas.
M. & parum bulliant.

Aut imponatur Aegyptiacum bis, aut ter, cui non est par: vel praecipitatum hydrargirum cum Theriaca. Loca vero circumvicina luto ipso armeno, aut Dianae sigillo, aceto rosato soluto, si praestet fuerit auxilium, succurrantur. Inde Medicinis, strenue attrahentibus, venenum evocetur, vel ignito Cauterio, si locus nervosus, aut arteriis, venisque plenus non fuerit, saepe aduratur, donec tota malignitas, quae talis est, & non simplex venenum, consumpta fuerit. Siquidem contra virulentos hos ictus tale praesidium expeditissimum est: utpote cum ignis caetera viribus praestet. At si uri non potest, a venis Cordi, ac vulneri longinquioribus, si vires validae sint, sanguis mittatur. Si vulnus angustum fuerit, primis diebus turundae parentur ex adipe suilla, adeo ut totum impleant vulnus. Est sane in veneno extrahendo secretum mirabile. Si vero carnem totam a veneno immutatam circumcidere non possit, non abs re fore judicatur, profundis scarificationibus circumjacentes regiones aperire &c. Quaenam autem ex recensitis modo curationibus (an ea scilicet, quam imprimis attuli, an altera, ab expertissimo Chirurgo *a Cruce* proposita) rationi consona magis videri queat, ex eo solum possumus judicare, quod statuamus, utrum intrusum a Cane rabido virus in affecta parte diu commoretur, anteaquam ad sanguinis massam transeat; an potius ab absorbentibus laesae cutis porulis, & vasculis illico receptum, festinanter inficiat sanguinem. Quia tamen utrinque variae, & oppositae pene observationes emergunt, quid certi circa hoc statui revera possit, haud satis patet. Ideo licet existimaverit *Sau-*

vages

vages eruditiſſimus, *ſolidas potius partes hoc veneno imbui, quod ob viſcoſitatem illis firmiter adhaereat, donec mora, aliiſque caufis accedentibus, in actum deducatur, attenuetur, fluidis miſceatur, inficiat omnia*: ſeu, quod idem eſt, in ipſo *vulnere contagium haereat impreſſum diu*: nihilominus (170) praecitatus *Van-Svvieten*, praeter alias obſervationes, oppoſitae faventes ſententiae, analogia petita a varioloſo ichore, ſanguini communicato, veriſimilius exiſtimat, quod venenum illud vere ad ſanguinem tranſeat, atque cum eo in gyrum adigatur, etiam ſi ſtatim ſuos minime prodat effectus. Atque hoc rationi ideo magis conforme eſt, quia virus illud Canis rabidi ſubtiliſſimae, & mobili admodum ſalivae immixtus eſt, quae propterea, prae tenuitate ſua, ſanguiferorum vaſorum hiatus ſubire perquam facile poteſt. Ex quo itaque, ut opinor, inferendum eſt, quod ea, quam ego primo propoſui, curatio (dummodo congruo tempore perfici revera poſſit) omnium melior, & tutior ſit dicenda, ac eo mitior, quam altera, quae demorſae partis omnimodam poſtulat abſciſſionem.

Haec autem cum ita ſint, jure meritoque in propoſitum noſtrum par erit ſtatuere, quod ſi nulla alia certa pharmaca contra teterrimum venenum hoc innotuerunt; ita & nullo modo ſperandum a nobis ſit, quod indicatum ab *Ebembitar* hujuſce Syrupi antidotum, id revera efficere queat, etiamſi demorſi a Cane rabido nondum *ab aqua fugiant*. Eodem quippe teſte (171) *Van-Svvieten*, alia etiam curatio quaevis, *quae in demorſis aquae metum praecavet, nondum ad illam certitudinem deducta eſt, ut abſque omni metu huic confidere poſſimus*. Quod ſi nihilominus Syrupo huic facultatem aliquam concedere quis velit, non ad deſtruendum penitus

virus

(170) Van-Svvieten Com. in Aphor. Boerhaav. §. 1138.
(171) Idem ibidem §. 1141.

virus hoc, sed ad illud saltem ita corrigendum, ut, quotiescunque sanguini immixtum sit, tam graves non adferat aerumnas: illud a succo Limoniorum magis, quam ab hoc Syrupo potiore jure sperandum erit. Esto enim, quod hoc Hydrophobiae venenum (uti monet (*) Praeclar. Allionius) communes habeat proprietates cum hostili Miliarium febrium miasmate, atque huic insuper corrigendo apta praecipue sint, ut ipse ait, acida vegetabilia remedia, & in primis Limoniorum malorum succus: opportunum erit dicere, quod iste quoque in Hydrophobiae curatione plurimi merito sit aestimandus; ut eum scilicet abunde, frequenterque, in aqua simplici solutum, infecti a Cane rabido Aegroti bibant.



O Ex

(*) Carol. Allion. Tract. de Miliar. origine, progressu &c. Cap. XIII. §. 174. Cap. X. §. 145. Cap. XIV. §. 188, 190, 198.

Ex Manuscripto Cremonensi.

DIxit ALTEMIMI acetum Limonum quod est succus acetositatis eorum soli expositum est calidum in primo gradu primi & caliditas in eo est accidentalis acquisita ab acuitate & aromaticitate quae sunt in cortice eorum apud expressionem ipsorum Limonum cum toto cortice; Siccitas vero aceti seu succi supradicti est in gradu tertio: & hujusmodi succus est confortans stomachum debilem: faciens odorem oris bonum: excitans appetitum cibi : resolvens humiditates grossas : conferens flegmati grosso generato in stomaco: & conferens etiam venenis perniciosis ebibitis aut ab extra accidentibus in corpore sicut morsui scorpionum & serpentum & morsui scorpionum algierarat & aliis speciebus scorpionum. Quandoque autem decoquuntur pulli proximi galli cantui vel proximi ut possint coire & galinae pingues & carnes lactentium agnorum & aedorum pinguium ponendo de hujusmodi succo Limonum & parum mentae & spicae & cinamomi & galangae & croci & zucari: & multiplicetur in eis quantitas amigdalarum excorticatarum contusarum, & provenit ex his omnibus cibus bonus mirabilis delectabilis saporis nutrimenti juvativi; & fit ex succo su-

pradicto

pradicto syrupus conferens venenis quorum commemoratio dicta est: & conferens etiam Squinantiae flegmaticae quando cum eo puro aut mixto cum cortice nucis fit gargarisma; Et quandoque fit ex Limonibus condimentum conferens stomaco confortans ipsum sua aromaticitate: excitans appetitum adjuvans digestionem stomaci: conferens etiam adustioni & pustulis seu bothor accidentibus stomaco factis ex putredine flegmatis aut a colera nigra.

Idem pene est in editione Veneta, & Parisiensi.

CAPUT XI.

De qualitatibus succi Limoniorum Soli expositi.



Aud aliter noscimus, curnam differat Limoniorum succus Soli expositus, ab alio ejusdem fructus succo, quem Sol non attigerit: nisi dicamus, quod ille, magis quam iste, tenuis, & purus est; quippe quia crassioribus, atque etiam aqueis, & inertibus particulis ita fuerit destitutus. Hoc prisci usque Medici noverant, atque, prae aliis, Mesve, qui, ad conficiendum Syrupum de succo Citri acido, praesertim animadvertit, quod, ut ipse melior evadat, succus ille debet Soli exponi: propter quod ejus ita praeparatio in Commentario proponitur. (172) *Accipiatur illud, in quo acetositas reperitur Citri, & ipsam petia subtili leniter exprimas, & non*

 violenter:

(172) Mesve de Syrup. lib. 1. in Comment.

violenter: exibit liquor clarus, non mucilaginosus. Accipe igitur de dicto liquore quantitatem congruam. *Zucchari albi bene clarificati, & debito modo cocti quantitatem* congruam, *& cum eo pone acetositatem, & Soli expones. Sol enim consumet parvo tempore humiditatem superfluam acetositatis Citri, & remanebit clarum tanquam aqua. Hoc enim modo faciunt Cypriani.* Quae porro norma si ad conficiendum Syrupum Limoniorum servetur, nullus dubito, quin ipse melior evadat. Etenim Solis ejuscemodi proprietatem (quae igni quoque competit) ad humiditatem scilicet speciatim consumendam, nemo non novit: quippe quod ejus calor aqueum humorem attenuat, cujus proinde comminuuntur particulae, nec non ita rarescunt, ad instar vaporis, & leviores in specie factae, quam circumpositus Aër, attolluntur, & in auras disperduntur. Atque ob eandem causam, purior, & clarior, qui superest, humor efficitur, crassioribus, ac magis gravibus, si quae in ipso aderant, particulis fundum petentibus. Etenim tunc, cum, ope caloris, rarescit humor ille, moleculae ejus susdeque vertuntur, colliduntur adinvicem, dum vicissim in se ruunt, impetumque faciunt: unde fit, ut strictiores earum solvantur nexus, imminuantur particulae, nec non figuras immutent. Ac propterea graviores, sui juris, ut ita dicam, effectae, ceu ab aliarum cohaesione satis solutae, subsidunt; simulac aliae leviores, iis decidentibus, assurgunt: quo quidem modo tota illius liquoris massa (quae antea turbida, & spissa erat) tenuis fit, clarescit, atque, consumpta simul insipida humiditate, efficacem, gratumque magis exhibet liquorem. Eodem porro modo Solis calorem, tenuem, & purum magis efficere Limoniorum succum, ut diximus, credendum est, quo urina etiam, ob frigus praesertim, turbida facta, dum super cineribus calidis consistit, paulo postea clarescit; nam id, quod crassius,

sius, ac ponderosum magis, in eà prius commixtum undequaque erat, exinde fundum matulae petit. Ita coenosa aqua, posteaquam ebullierit, dum frigescit, in fundo vasis crassiores facilius deponit particulas. Hisce positis, concedo quidem, quod Limoniorum succus, posteaquam, uti oportet, Solis vim passus sit, evadat tenuior, magis penetrans, eoque minus corruptioni obnoxius. Quod vero ipse (ad differentiam succi alterius, qui recens ab iisdem maturis fructibus elicitus sit, aut saltem, uti par est, absque ulla Solis actione rite fuerit depuratus) longe magis efficax sit, ad eos omnes praestandos effectus, de quibus supra fusius egimus, haud satis ratio suadet; eoque maxime, quia vis Solis tenuiores, mobilioresque ejus moleculas debet necessario consumere. Neque tamen negaverim Arabico Auctori nostro, quod succus Limoniorum Soli expositus, atque ita magis depuratus, diutius asservari possit, ut serviat, si lubet, pro alimentorum condimento, quotiescunque, loco aceti, debeat usurpari. Proinde fiet etiam, quod Syrupus, paratus ex eodem succo, purior evadat, & suavior, atque etiam magis incidens, quam alter, qui ex alio succo, sine vi Solis depurato, conficitur. Utrique tamen, quod ad alias proprietates, eadem pene vis erit concedenda. Nihil denique dicam de conditura tenellorum pullorum, agnorum, aut gallinarum pinguium, quam proponit *Ebembitar*; si nempe una cum Mentha, aliisque aromaticis, ipsi addatur Limoniorum succus, Soli prius expositus. Ex hoc enim, quod emergat cibus *bonus*, & *delectabilis*, ii tantum concedent, quibus vere talis arrideat conditura. Nam de iis, quae, ad placitum Hominum, plus, minusve gustui satisfaciunt, nostrum non est judicare: maxime quia, ut saluti potius, quam gustui, & gulae prospiciamus, de hisce disseruimus.

Ex Manuſcripto Cremonenſi.

MOdus conficiendi condimentum Limonum praedictum eſt quod accipiantur Limones complete digeſti & citrini & ſcindatur unuſquiſque eorum in duas medietates non ſeparando unam medietatem ab altera deinde ſpargatur inter duas medietates parum ſalis contriti & poſtea reducantur duae medietates ſicut prius erant in ſuo ſitu & ponantur in vaſe vitreo habente orificium latum deinde projiciatur ſuper Limones praedictos de ſucco Limonum expreſſo ab aliis Limonibus tanta quantitas, qua ſubmergantur Limones praedicti deinde obturetur caput vaſis cum luto & dimittatur in ſole duabus ebdomadis deinde conſervetur in loco umbroſo & comedatur ex iſtis Limonibus poſt dies quadraginta & quanto magis antiquantur tanto efficiuntur meliores delectabiles guſtui & aromatici & ſunt aperientes opilationem excitantes appetitum cibi: & conferunt humidis flegmaticis.

Idem pene eſt in editione Veneta, & Pariſienſi.

CAPUT

CAPUT XII.

De condimento Limoniorum.



Osteaquam *Ebembitar* in antecedenti Capite eam proposuerat Limoniorum condituram, quae grata, ut ipse putat, & *delectabilis* evaderet; utilitati quoque, seu Stomachi indigentiae ut succurrat, speciale indicavit condimentum, cujus parandi normam in hoc Capite accurate subdit. In hac vero praeparatione ea praecipue videtur esse Auctoris intentio, quod nedum attenuetur maxime, depureturque Limoniorum succus, ut aquearum particularum omnino expers effectus, eo acidior evadat: sed etiam ita praeparata Limonia illa mala, magis grata, atque utilia reddantur. Eo autem modo praeparatus ille, qui inde emergit, succus, attemperans longe magis, & penetrans, & aromaticus fit, ideoque gustui amplius satisfacit. Etenim, dum, sectis in duas partes Limoniis malis, inter utriusque frusta Sal spargitur, eaque iterum coalescentia, *in vase vitreo habente orificium latum*, detinentur, alio superaffuso Limoniorum succo, atque tandem vas illud per duas hebdomadas actioni Solis subjicitur: Sal aqueas particulas ab aliis separat, eas optime solvens, aptasque insuper reddit, ut, ope radiorum Solis, adeo sejungantur ab invicem, ut avolent, atque disperdantur. Ille praeterea succus, ita aqua destitutus, crassiores particulas in fundo deponit, propter quod eo purior evadit: qui denique *in loco umbroso* per *quadraginta dies* detentus, etiam majorem acquirit aciditatem. Haec quoque praeparatio, dum succum illum ita bene disponit, Limonia frusta, tali modo parata, grata magis

reddit, & delectabilia, nec non appetitum excitantia; adeo ut melius usibus inserviant. Huic aliam addam Limoniorum condituram, quae, juxta *Alpagi* expositionem, (173) *Allimunie* dicitur, *ut patet in Libro Ebengian, Capite de Limonibus*. Ita vero, docente *Alpago*, vocatur *ferculum factum cum succo Limonum, & modico Cinnamomi, & cum amygdalis, & zuccharo: & est confortans Stomachum, & potest fieri cum carne, & absque carne, sicuti cum herbis, aut cucurbita, & similibus: & in cura Sodae minorantur aromata, quae non miscentur, nisi ad corrigendam acetositatem Limonum.*

Hanc *Ebembitar* imitatus normam, alias praeterea magis compositas, si lubeat, condituras Limoniorum is parare poterit, qui simplicitatem non amet, ut specialibus indicationibus fiat satis. Et licet ego, ut supra innui, a nimis compositis pharmacis plerumque abhorream: iis nihilominus inserviens, qui aliter sentiunt, alias adnectam ejuscemodi compositas praeparationes, quae, licet Citria mala, non autem Limonia comprehendant, ad rem nostram tamen faciunt; cum id ipsum, ex dictis, Limonia quoque praestare queant, quia haec cum Citriis plurimum consentiunt.

Nicolaus Myrepsus (174) pro iis, qui inflati sint, & tarde concoquant alimenta, sic parari Antidotum jubet, uti admodum utile.

℞ *Carnis Citrior. repurgator. libr. unam.*
Hyssopi, Ruthae, Origani ana exiguum fascicul. unum.
Aceti cotylas tres.
Macerato in aceto per noctes, & dies quinque; & dein ad

(173) Alpagus in Arabicorum nominum Interpretatione, Avicennae Operibus adjuncta.

(174) Nicol. Myrepf. de Antidot. Sec. 1. cap. 143. & 144.

ad tertias decoque, atque ubi expressa fuerint, ab igne amoveto, & adjectis mellis libris duabus, iterum ad consistentiam decoque: deinde species probe tusas, & cretas injice, nempe

Asari, Mei, Piperis, Hyssopi, Xylobalsami
ana uncias duas.
Datur mane, & vesperi.

Aliam etiam huic addit antidotum, ad eundem usum; eaque est *melior, & magis quam ea, quae praecedit, laudata*, ut ipse monet.

R. *Carnium Citrior. lib. unam.*
e tritis, & probe contusis, atque in linteo ligatis exprime omnem humorem, quo facto accipe
Mellis Attici despumati lib. duas,
& in ahenum conjice Citria expressa, una cum Melle, & dimitte illic per diem, & noctem. Dein altera die decoque, usque ad justam crassitudinem, posteaque has species bene tusas, & cretas injice
Zinziberis, Cinnamomi, Caryophil.
Ligni Aloes an. hexag. duo.
Nucis moschat., Xylobalsami, Hyssop.
an. hexag. unum, & semis.
Calami odorati hexag. duo.
Carnabadii, Anis. an. hexag. unum, & semis.
Ameos, Coriandr. an. hexag. unum.
Croci gran. duo, Moschi Siliq. quatuor.
Primum species odoratas injice, dein amove ab igne, & subige, tandemque moschum tritum cum stillatitio rosarum liquore, aut vino adhibe, rursumque subige. Et si placuerit, adjice illi Piperis albi unc. semis.
Ac subinde in vase recondе, praebeque mane, & vesperi ex vino bono.

Sequi-

Sequitur tertia antidotus, in eumdem usum, a *Myrepso* ibidem commendata.

℞. *Carn. Citri. lib. unam, & unc. unam.*
Hyssop., Rhut., Origan. an. parv. fascicul. unum.
Aceti Cotyl. tres.

Macerentur in aceto per noctes, & dies quinque, ac subinde ad tertias coquantur. Ubi expresseris, species abjicito: aceto autem admisce

Mellis hexag. unum.

Et iterum coque ad Mellis consistentiam, ac deinceps insperge

Sennae, Asari, Mei, Piperis, Spicae,
Zingiberis, Caryophil., Cinnamom., Coriandr.,
Anisi, Nuc. Moschat. an. unc. unam.

Subacta probe, dato.

Eidem satisfaciens indicationi, parum absimile pharmacum ita describit *Aetius*. (175)

℞. *Carnis mali Citrii lib. unam.*
Hyssop., Ruthae, Origani an. fasciculum exiguum unum.
Aceti heminas tres.

Per quinque dies, ac noctes, aceto macerato, ad tertias decoquito, & expressa rejicito: ad acetum vero Mellis sextarium unum admisceto, rursumque ad Mellis crassitudinem decoquito, deinde Asari, Mei, Piperis, cujusque sextarium inspergito. Mane, & vesperi exhibeatur.

Hoc ipsum pharmacum describens *Aegineta* (176) ejus insuper dosim indicat, ut scilicet assumatur *cochlear unum mane, & ad somnum.* Alias

(175) Aetius Tetrab. 3. Serm. 1. cap. 24.
(176) Paul. Aeginet. de re Medic. lib. 7. cap. 2.

Alias hujusmodi compositas adeo formulas, quae, ut ex Limoniis, vel Citriis parentur pharmaca, solent proponi, nunc omitto, ne incassum Lectores detineam. Addam dumtaxat modum, quo praelaudatus *Platina* (177) noster docet, quod tam *cotonea*, quam *cucurbitae*, *citra*, *mala medica*, *pira*, & *poma* condiri possint, ut iis in mensis, si placet, utamur. Haec autem sunt Auctoris verba. *Condiri etiam matura* (coctonea) *hoc modo possunt. Depilata, ac in frusta concisa, nucleisque e medio sublatis, in aquam coelestem ponuntur: ubi tandiu, mutata tamen aqua, relinqui debent, donec stypticitatem illam amiserint, eluceantque tanquam cornea. Elixentur deinde, & semicocta ex aheno ablata in linteum album, & mundum super tabulam extendantur: donec aqua exsiccetur. In cacabum deinde cum Melle posita, tandiu ebulliant, quousque omnino coquantur. Cocta rursum linteo extendes, & fere sicca ad umbram, non in Sole, in ollam repones, superinfundesque Mel bene defaecatum, & tepidum. Hoc modo fere condiuntur cucurbitae, citra, mala medica, quae vulgo* narancia *vocamus, pira, poma; quibus nonnulli aromata inspergi voluerunt: ut caryophillum, cinnamomum, gyngiber, trita, & cribrata. Malopeponum costae, unde conditura fieri solet, in aceto macerantur dies quatuor: postea vero quum in linteo aliquandiu resederint, mutato aceto, iterum coctae, ac rursum in linteum extensae, donec refrixerint, in ollam reponuntur, superaffusoque Melle, optime servantur. Haec in prima mensa variis temporibus comedi solent. Hyeme citrum, & narancium; Aestate cucurbita, pepones, coctonea &c.*

Praeter haec, cum nihil aliud de Limoniis differuerit *Ebembitar*, ego quoque Commentariis finem imponam. *Quae* autem (178) *hic scripsi, judicio prudentum, & expertorum Medicorum*

(177) Platin. de honesta voluptate &c. lib. 2. de Coctoneis.
(178) Jo: Frideric. Bachstrom de Scorbuti natura.

Medicorum permitto: ab his si alia edoctus fuero; non solum iis gratias agam, sed meam quoque sententiam lubenter revocabo, cum mihi nihil magis curae, cordique sit, quam per omnia sibi constans, & salutifera veritas.



INDEX

INDEX.

A

ABusus succi Limoniorum quomodo noceat. 131. 132.
Acetum, loco succi Limoniorum, in pauperibus adhibetur, ad curandam Scabiem. 54.
cum succo Limoniorum comparatur. 44.
non ita ebrietati succurrit, uti Limoniorum succus. 95.
magis refrigerat, quam Omphacium. 139.
cum succo Limoniorum comparatum, minus utile est in ardentibus febribus. 65.
Aceti usus in morbis cutis. 52.
in Scorbuticis commendatus. 86.
congruus ad febriles sedandos aestus. 82.
Aceti speciales facultates proponuntur. 136. 137.
Aceto plerumque praeferendus Limoniorum succus. 141. 142.
acrimonia inest, unde minus refrigerat, quam Limoniorum succus. 138.
Acida corruptioni humorum resistunt. 82.
Bili speciatim opponuntur. 73.
Acidi minerales succi longe minus tuti sunt, quam Limoniorum succus. 65.
Acidorum usus in Scorbuticis prodest. 86. 87.
quorumvis differentia proponitur. 134.
Acqueta, ut determinate agat, an possit exhiberi. 106. 107.
ejus propria symptomata, & signa. 107. 108.
quomodo agat in corpore. 108. 109.
si unquam fuerit propinata, quid illico sit agendum. 109.
ejus praecipua curatio a Limoniorum succo. 109. 110.
specialis adfertur observatio. 111.
varia actio quomodo explicetur. 111. 112.
lentum hoc venenum a quibus fuerit consideratum. 103.

Neapoli

Neapoli primum evulgatum. Ibidem.
vim habet corrosivam, quae ex eo patet, quod, dum extrinsecus adhibetur, cauterii vices gerit. Ibidem.
ejus antidotum succus Limoniorum, & Citri. Ibidem.
non eodem modo, nec aeque cito in omnibus agit. 104.
Acutis febribus, a bile ortis, prodest maxime Limoniorum succus. 82. 83.
Acutis morbis, potius quam chronicis, medetur Limoniorum succus. 131.
Aëris attemperando aestui, quibus adminiculis utebantur prisci Medentes in aegrotorum cubiculis. 60.
ejus cauta mutatio in cubiculis aegrotorum utilis est. 61.
Aestivo tempore sanis prodest Limoniorum succus, ad bilis aestus compescendos. 96. 129.
Aestatis tempore bilis facile a naturali statu deflectit. 72. 79.
Aeneorum vasorum usus, pro conficiendo Syrupo Limoniorum, quare sit suspectus. 169.
Algierarat Scorpiones qui sint, & quam noxii. 120. 121.
Amara cum acidis attemperantur, seu dulcificantur. 73.
Analysis Chymica succi Citri. 47.
corticum Citri. 18. 19.
Anginae Lymphaticae, ob cohibitam perspirationem factae, quomodo succurrat Limoniorum succus. 56. 57.
Anginae medetur Limoniorum Syrupus. 178. 179.
Animalium venena cur generatim infensa. 118.
neque dissolvunt, neque coagulant humores, sed in solida praesertim agunt. 118. 119.
Animalia genitoris utriusque notas plerumque referunt. 157. 158.
Antidotum quid sit. 100.
Appetitum excitat Limoniorum succus. 77.
Aqua distillata ex malis Limoniis servit pro fuco, ad expoliendam faciem. 51.
Arabibus Syruporum inventio adscribitur. 167. 168.
Arbores diversae speciei, dum invicem inseruntur, fructus eos edunt, qui de utraque specie participant. 158.
Arthri-

Arthriticus humor quomodo ab extimis ad intimas partes delatus, & viceversa, varios efficiat morbos, atque praecipue in intestinis. 183. 184. 185.
Articulorum doloribus cur succurrat Limoniorum Syrupus, eorumque praecipue succus. 183. 184. 185. 186.
Atramenti maculae Limoniorum succo delentur. 49. 50.

B

Bellaria fiunt ex conditunis, Citri, & Limoniorum. 152. 153.
Bezahar lapis quanti ab Antiquis habitus sit. 100. 101.
ejus vanitas indicatur. 101.
Bezahartica vis Limoniis malis adscribitur. 102.
Bilis in statu sano quid sit, & quid efficiat. 71.
in statu morboso consideratur, eaque praesertim dominatur aestate. 72.
in Tertianis febribus quomodo saeviat. 80.
edomandae vi maxime confert Limoniorum succus. 128.
cur ipsi praesertim prosit admodum Limoniorum succus. 73. 74.
variis morbis quomodo prospiciat succus Limoniorum. 74. 75. 76. 77. 78.
Brassica ebrietati resistit, cum acida sit. 95. 96.

C

Cachecticis hominibus non convenit Limoniorum succus. 132.
Calculos, & arenas dissolvit Limoniorum succus. 46. 47.
Capitis morbis, qui a bile utcunque ortum habent, opem adfert Limoniorum succus. 77. 78.
Cardiaci remedii nomine quid intelligitur. 69.
ejus vices quando gerat vinum, vel Limoniorum succus. Ibidem.
Castoreum, dum corrumpitur, cur venenosum fiat. 117.
quod in usum Medicinae venit, non est testiculus istius Animalis, sed folliculus humore pingui refertus. Ibidem.
ejus venenum quae symptomata adferat. 116.

huic

huic cur prosit Limoniorum succus. 115. 116. 117.
venenatum quomodo cognoscitur. 118.
ipsi succurrunt fructus acetosi, & acetum quoque. 117.
Chinae Chinae actioni non opponitur Limoniorum succus. 81. 82.
Chlorosi medetur optime vinum paratum cum aromaticis herbis, & seminibus Citri, cum Chalybe. 148.
Citria, & Limonia mala fructus inter se congeneres sunt. 7. 18.
mala speciatim, Medica mala, Persica, & Assyria a veteribus appellantur. 7.
dicuntur etiam hesperica, & aurea. 12.
commendantur maxime ab Antiquis contra venena. 12.
& Aurantia in Scorbuticis utilia sunt. 87.
difficilis sunt concoctionis. 145.
Citri vires ab Antiquis fere omnibus Auctoribus referuntur. 5.
Citri nomine Limonia etiam Mala ab Antiquis Medicis indicata videntur. 6.
Citri antidoti pro roborando stomacho. 216. 217. 218.
Citri corticis principia, & vires. 19. 20.
cortex magis, quam Limoniorum, volatili oleo scatet, & Tineas a vestibus praecavet. 20.
decoctum speciale proponitur. 140.
succi Chymica Analysis. 47.
succus cum Limoniorum succo comparatur. 74.
in morbis cutis adhibetur. 52.
Citriorum conditurae, stomacho utiles. 152. 153.
pars, non apta cibo, cum polenta, quanti habeatur in articulorum doloribus. 189.
Composita nimis remedia damnantur. 126. 192. 193. 200. 205.
Conditurae Limoniorum. 115. 116.
Conditura Citri, & aliorum fructuum. 219.
Cortex extimus flavus Limoniorum oleo fragrante pollet. 14.
Limoniorum coctioni confert, & flatus discutit. 15.
in ore detentus pravum halitum tollit, & pestifero miasmati resistit. 17. 18.

intimus

intimus albicans non digeritur, imo ventriculum aggravat. 13.

masticatus cur a Scorbuto, & Phthysi praeservat. 17. 18.

Corticum Citri Chymica Analysis, quae corticibus Limoniorum aptari potest. 18. 19.

Cutis pustulis medetur succus Limoniorum. 66. 67.

plurimis morbis Limoniorum succus prodest. 51. 52.

externa remedia non omnino succurrunt, nisi interna etiam congrua administrentur. 52. 53.

D

DEcoctum *Citri Aegrotis plurimis utile.* 120.

foliorum, aut florum Malvae, Limoniorum addito succo, Renum, & Vesicae morbis opitulatur. 94.

Diarrhoeae biliosae quomodo succurrat Limoniorum succus. 78. 79.

Diarrhoea, intempestive suppressa, morbos adfert. 185.

Diureticus est Limoniorum malorum succus, unde Renes, & Vesicam opportune detergit. 91. 92. 93. 94.

E

EBrietati *magis succurrit Limoniorum succus, quam acetum, & prodest etiam comesta Brassica.* 95. 96.

Emulsiones ex seminibus frigidis cur haud semper valeant, ad aestum sanguinis attemperandum. 62. 64.

Citri quare utiles sint Histericis foeminis. 148.

F

FAucium *inflammationi Limoniorum succus medetur.* 55. 56.

Febrium aestus sedat Limoniorum succus, in aqua saepe epotus. 67.

ardentium accidentibus, uti maximum refrigerans, opem adfert Limoniorum succus. 59. 60. 62.

Febribus tertianis succurrit admodum Limoniorum succus, abunde-

cum aqua usurpatus. 79. 80. 81. 82.
biliosis omnibus prospicit Limoniorum succus. 83. 84.
Lypiriis quoque convenit. 80.
Foetori oris, ob dentium cariem, vel aliter facto, masticati Limoniorum cortices succurrunt. 17.
Fenestras in Aegrotorum cubiculis identidem aperire oportet, ad immutandum, & attemperandum aërem. 61.

G

Gargarismata utilia fiunt cum syrupo Limoniorum in Angina. 179.
ex Limoniorum succo parata, licet plerumque in Angina conveniant, tunc tamen non sunt adhibenda, cum de suppuratione agitur. 56. 57.
Gutturis, aliisque faucium morbis, multoties succurrit Limoniorum succus, uti & syrupus Limoniorum. 67. 178. 179.

H

Haemorrhoides, inconsulto suppressae, quae mala adferant. 185.
Hepatis, & intestinorum morbis, cur prosit Limoniorum succus. 74. 75. 78.
Hydrophobia ut praecaveatur, quid agendum sit, statim ac quispiam a Cane rabido fuerit demorsus. 205. 206.
demorsae partis amputationem aliqui laudant 206. 207.
Hydrophobiae venenum cum miliarium febrium miasmate non parum consentit. 209.
Hystericis foeminis succurrit Limoniorum succus. 95. 130.
prosunt emulsiones ex seminibus Citri. 148.

I

Icteritiae, a tenaci bile factae, Limoniorum succus prodest. 57.
Inflammationibus Viscerum succus Limoniorum prospicit. 65. 66.
Inserta in Citrum Limoniorum arbor fructus emittit, qui Limo-
niorum

niorum, & Citriorum facultates obtinent. 159.
Intestinorum dolores, quomodo, ab intropulso humore arthritico, fiant. 184.
Ira compescitur Limoniorum succo. 79. 114.
Juvenes bile magis abundant, quam senes, eaque magis aestuante, iisque ideo magis convenit Limoniorum succus. 128. 129.

L

L*Ac, cum quis assumit, a Limoniorum succo caveat.* 133.
Lactis serum in febricitantibus acescit facile. 64.
Limonada, *seu aqua, in qua solus Limoniorum succus, sine saccharo, sit solutus, est utilior.* 97. 68.
quomodo parari possit speciali modo. 67. 68.
varios effectus utiliter praestare potest. 97. 98. 99.
Limonia mala, magis quam Citria, refrigerant. 8.
nutriendo corpori nihil conferunt. 143.
sale confecta, cur magis utilia. 152. 153.
Limoniorum taleolae, saccharo insperfae, in ore detentae, Aegrotis placent, & prosunt. 68.
succi vis contra venena satis nequit explicari. 112.
Limoniorum succus quare melior dicendus sit succo Citri. 74.
succus a Tinctoribus plurimi fit, ad speciales efficiendos, vel immutandos colores. 50. 51.
frustula, saccharo aspersa, cur vel cum cortice, vel sine cortice, in ore detineri possint. 15. 16.
differentiae praecipuae. 8. 9. 10.
differentia a Citriis. 7. 8. 11.
nulla pene mentio apud Antiquos, nisi apud Avicennam. 5.
extimus flavus cortex fragrante oleo scatet, intimus vero albicans nullius est usus. 14.
surculi, in Citrum inserti, meliores edunt fructus. 158. 159.
Limoniis, & Citriis malis eaedem fere assignantur facultates. 6. 11.
Lymphaticis corporibus raro prodest Limoniorum succus. 130.
Lypiriae febres a bile praesertim fiunt, iisque ideo prodest Limoniorum succus. 80.

M

MAgnates magis, quam alii, caveant a venenis. 114.
iis suademus, ad praecavendas praecipue venenorum noxas, ut Limoniorum succum familiarem habeant. 113. 114.
Malvae foliorum, aut florum tinctura, cum Limoniorum succo, prodest maxime in ardore urinae, atque ad educendas arenulas. 94.
Menthae proprietates. 201.
Mercurius caute adhibendus in cutis morbis. 51.
Miliarium febrium miasma corrigit Limoniorum succus. 209.
Mineralium acida minus, quam vegetabilium, utilia sunt, ad febriles sedandos aestus. 65.
Morphea rubra illis facile accidit, qui vino abutuntur, iisque succurrit Limoniorum succus. 53.
Mulorum generatio indicatur. 157.

O

OBstructiones solvit Limoniorum succus, dum urinas ciet. 57.
Oleum fragrantissimum, a flavo Limoniorum cortice emanans, corpus reficit. 144.
Oleo amygdalarum dulcium cur non omnino fidendum sit, in biliosis praesertim febribus. 84. 85.
Omphacium refrigerat magis, quam Acetum. 139.

P

PHthysicis cur prosunt masticati Limoniorum cortices. 17.
Pectoris morbis aliquando succurrit Limoniorum succus, atque tunc maxime, cum bilis dominatur. 45.
Pretiosa remedia ex auro, & margaritis, inutilia sunt. 70.
Puerperis succurrit Limoniorum succus, si, lochia suppressa, sint etiam promovenda. 44. 57. 58.
gratum, & utilem potum praestat Limoniorum succus, in aqua dissolutus. 76. 77.
emulsiones ex seminibus Citri prosunt. 148.

Purgantibus potionibus utiliter immiscetur succus Citri, vel Limoniorum: propter quod speciales ad hoc exhibentur formulae. 88. 89. 90. 91.

R

R*Emedia nimium composita damnantur.* 70. 193. 194. 200.

S

S*Accharum, succo Limoniorum immixtum, vim hujus imminuit.* 133.
Sanis quoque prodest Limoniorum succus, aestivo tempore, ad bilem compescendam. 96.
Sanguinis emissio in curatione febrium cur, & quomodo conveniat, ad attemperandum aestum. 63. 64.
iterata tunc nimis non probatur, cum inde vires solvantur. 63.
Sanguinis tenacitas haud rite indicatur a lento motu, quo sanguis a secta vena prodit. 63. 64.
Scabiei succurrit Limoniorum succus. 53.
ad hoc speciale proponitur linimentum. 53. 54.
Scorbuticis magis prodest Limoniorum succus, quam acetum. 137.
auxiliantur magis vegetabilia acida, atque inter haec praecipue succus Limoniorum magis, quam Citri. 87.
prosunt masticati cortices Limoniorum. 17.
Scorpionum veneni antidotum ab acidis fructibus, atque praesertim a Limoniorum succo. 127.
venenum in minima liquoris guttula latet. 119.
variat, quod ad actionem suam, pro varia eorum specie, & locorum varietate. 119. 120.
veneni minima guttula quomodo tam enormes, & varios exerat effectus, ignoramus. 122.
diversae species. 120. 121. 122.
veneno, & Viperarum evincendo, quomodo, & cur adhiberi debeat Limoniorum succus. 123.
veneno ut succurramus, affectae parti primo curatio adhibenda

hibenda est. 123. 124. 125.

veneno ut tutius prospicerent Antiqui Medici, laesam partem abscindebant. 124. 125.

veneno tutius medemur, affectam arcte colligando partem, ut inde sanguis exsugatur. 125.

veneno evincendo Theriacam specialem Antiqui Medici adhibebant. 125. 126.

Scorpiones Itali minus, quam Aegyptii, & Tunetani nocent. 120.

Algierarat qui, & quam infensi. 120.

Seminum Citri facultates. 147. 148.

Semina Citri, & Limoniorum iisdem pene pollent viribus. 149.

Senibus cur minus conveniat Limoniorum succus. 129. 130.

Simplicibus magis, quam compositis remediis, est fidendum. 93.

Sordes a corporibus detergit Limoniorum succus. 49.

Spiritus, ex Limoniorum flavo cortice prodiens, cur utilis. 14. 15.

fragantissimus abundat magis in flavo cortice Citri, quam Limoniorum. 20.

Succus Limoniorum, in aqua solutus, absque saccharo, efficacior est. 97.

tam arcet, quam sedat inflammationes. 66.

in ardentibus febribus, contra sanguinis aestum, magis valet, quam emulsiones ex seminibus frigidis. 62.

simplex raro usurpandus. 132. 133.

in quibus morbis non omnino conveniat. 134.

ventris Tineas interimit. 54.

faucium inflammationi prospicit. 55. 56.

a non decorticatis, quam a decorticatis Limoniis eluitur, quando conveniat, & cur magis potens sit. 25. 26.

quomodo attenuat, & incidit, atque ab austeris acidis differt. 43.

puerperis, licet lochia desint, uti aperiens, convenire potest, cum vere adstringens non sit. 44.

dissolvit tam humanos lapides, quam alabastritem, & alia marmorea corpora. 48.

dum intime penetrat corpora, quae iis extrinse-
cus

eus sunt, sordes aufert. 49.
cur nihil pene enutriat corpus. 143. 144.
utilior est, quam Limoniorum Syrupus, licet huic Citoniorum succus addatur. 194. 195. 196.
Soli expositus, purior, tenuiorque fit, magis penetrans, minusque corruptioni obnoxius. 211. 212. 213.
Syruporum inventio Arabibus adscribitur. 167. 168.
Syrupi generatim ad medendum inutiles plerumque sunt. 176. 177.
Syrupus Limoniorum, addita Manna, tamquam leniens, infantibus est utilis. 180.
quomodo parari debeat. 168. 169.
minus est efficax, quam Limoniorum succus. 176.
cur sit utilis in Angina. 178. 179.
Abdominis infarctus tollit, minus tamen quam
quare & ebriis succurrit. 182. 186.
magis est utilis, quam syrupus Citri. 188.
ejus variae facultates a pag. 175. *ad* 188.
cum Citoniis quanti valeat. 196.
cum Mentha quanti valeat. 201. 202.
cur potens credatur contra venenum Canis rabidi. 205.
Syrupi de succo Citri Mesue praeparatio. 211. 212.
Diacitri specialis praeparatio, & vires. 203. 204.
de Mentha specialis praeparatio. 203.
de Absynthio Penae, pro roborando Ventriculo, praeparatio. 202. 203.

T

T*Heriaca* exercitualis *veterum, contra venenum Scorpionum usitata.* 125. 126. 127.
Tertianis praecipue febribus medetur optimè Limoniorum succus, qui earum symptomatibus speciatim succurrit. 79. 80. 81. 82.

Vene-

V

Enenum Canis rabidi efficacissimum est, ejusque natura, & agendi modus adhuc ignotus. 205.
cito sanguini communicatur. 208.
Veneni violenti curatio ab emeticis, & purgantibus inchoanda. 105.
observatio specialis. Ibidem.
ejus differentia a lento veneno. 106.
actio citior, & gravior in intestinis, & ventriculo evenit. 104. 105.
Venena lenta leviter, & tarde agunt, praesertim in sanguine, unde difficilius se produnt. Ibidem.
Venenis etiam animalium cur succurrat Limoniorum succus. 118.
Venenum lentum Acqueta *est, quod difficile manifestatur.* 103. 104.
ejus actio praecaveri potest, ope succi Limoniorum. 113. 114. 115.
Venenorum actionem quomodo praecavere utcunque possumus. 187. 188.
quorumdam factitiorum vanitas indicatur. 102.
Venenis adversatur Syrupus Limoniorum, minus tamen, quam eorum succus. 187.
Ventriculum roborant conditurae Limoniorum, & Citriorum. 152. 153.
Ventriculi affectibus, qui vel a bile, vel ab aliis humoribus ibidem infixis fiunt, plurifariam succurrit Limoniorum Syrupus. 181. 186.
Vermibus succurrens pulvis describitur. 149.
Vinum medicatum cum aromaticis herbis, Chalybe, & seminibus Citri, prodest in Chlorosi, a suppressione menstruorum. 148.
Viperini veneni actio consideratur. 118.
Vitrioli spiritus minus utilis, quam succus Limoniorum. 73.
Unguenta ex Citro. 20. 21.
Vomitui, aliisque Ventriculi morbis, quomodo prospiciat Limoniorum succus. 74. 75.

1 2



